SANCTI

THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

ORDINIS PRAEDICATORUM

OPERA OMNIA

SANCTI

THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

OPERA OMNIA

IUSSU EDITA

LEONIS XIII P. M.

TOMUS DECIMUS SEXTUS

INDICES

AUCTORITATUM ET RERUM OCCURRENTIUM IN

SUMMA THEOLOGIAE ET SUMMA CONTRA GENTILES

ET IN ANNEXIS COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI ET FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS

ITEM IN

PRAEFATIONIBUS, NOTULIS ATQUE APPENDICIBUS EDITORUM

ID EST

INDICES IN INTEGROS TOMOS IV - XV

CURA ET STUDIO

FRATRUM PRAEDICATORUM

ROMAE MCMXLVIII
APUD SEDEM COMMISSIONIS LEONINAE
S. SABINA - AVENTINO - ROMA (147)

Anonima Tipografica Editrice Laziale - Roma, Via Francesco de' Sanctis 9
Printed in Italy

PIAE MEMORIAE

ADM. RR. PP. MAG. PETRI PAULI MACKEY O. P. ET MAG. IACOBI LYTTLETON O. P.

Prior huius tomi pars, per varios commodosque indices distribuens fere centum milia auctoritatum occurrentium in editione leonina utriusque Summae S. Thomae et commentariorum Caietani et Ferrariensis, sponte recordationem renovat duorum hominum qui antea harum singularum accuratam fecerunt in ipsis fontibus recognitionem, qui item fuerunt ex illis paucissimis, tribus tantum, viris qui ab incepto opere leonino huic soli editioni accurandae animo constanti indefessoque labore totam longam reliquam vitam dedicaverunt. Consentaneum cuique videbitur nos eorum vitam et quid utriusque industria leoninae editioni attulerit brevi grataque memoria hic revocare.

Petrus Paulus Daniel Mackey, natus die 4 Decembris 1851 in Erdington Angliae oppidulo, die 10 Octobris 1872 religiosam professionem emisit in conventu nostro Vodecastrensi. Iuvenis 30 annorum, ingenio et studiorum ardore iam clarus, philosophiae professoris munere per biennium omnium plausu functus, qualitatibus praeditus quibus etiam publice florere mox potuerat, die 22 Septembris 1881 Romam venit collaboratoribus leoninis aggregandus, id est, ut relicta patria et cognatione sua, deinceps in terra aliena alienis edendis, nunquam suis, inhaereret, ut studiis incumberet absconditis, taediosis, subordinatis, plerumque parum amatis. In quo tamen munere obeundo fideliter perseveravit usque ad extremam virium consummationem in provecta aetate, pia religiosaque vitae consuetudine semper commendabilis. Lento passu, decem annorum infirmitate, consummabatur excessus ex opere et vita. Mori diu paratus, mortem nec timebat nec tamen impatienter desiderabat, sed placidam tandem advenientem placide acceptavit Romae die 23 Aprilis anni 1935, annos natus 83, leoninae commissionis actu collaborator annos fere 48, praeses ad honorem annos 6.

Iacobus Patritius Lyttleton, natus die 14 Novembris 1851 Cassiliae (Cashel) in Hibernia, die 3 Maii 1869 religiosa vota Deo nuncupavit in conventu Tamlachtensi. Iam sex annos philosophiam et theologiam docuerat, cum Romam vocatus est ut editoribus leoninis annumeraretur, ubi advenit die 25 Iunii anni 1881. Per totam reliquam vitam huic soli officio applicabat omnes ingenii perspicacis memoriaeque tenacis dotes haud communes. Innata quaedam animi impulsio perfecte accurandi quaecumque singula etiam minima, qua in vitae religiosae consuetudine aliquantum usque ad scrupulorum anxietates premi videbatur, fortasse ea eadem ipsi studioso haud ita parum emolumento erat in frequentissimis perducendis investigationibus de minimis circa fontes auctoritatum a S. Thoma adductarum. Miram hinc acquisitam rerum theologicarum eruditionem facile libenterque abscondit profunda sinceraque humilitate supernaturaliter optime associata naturali animi candori morumque suavitati, qua in fratrum societate, mox omnibus factus carissimus, libenter audire, parce loqui, potius aliis cedere quam se efferre solebat. Mundi mundanorumque contemptor, fraternae religiosae vitae amator, absconditam piamque vitam pia coronavit morte Romae die 28 Ianuarii 1909, annos natus 57, leoninae editionis collaborator annos 27.

Praeter partem quam uterque habebat in laboribus communibus, utriusque campus proprior iam brevi post adventum Romae satis determinatus erat.

R. Patris Mackey praecipuus labor erat illa ulterior externa textus perpolitio quae cuivis textui critice restituto adhuc apponenda est ut, en ipsius verba: « clarus, lectu facilis, vitiis omnino carens studiosis offeratur ». Ex hac parte considerandae sunt e.g. orthographia verborum, propositionum interpunctio, pericoparum rationalis divisio, signorum remissivorum appositio ad quoscumque locos correlativos, technica textus praeparatio pro typothetis, preli vitiorum correctio. In horum omnium cura prius assistebat Em. Domino Card. Zigliara, inde a p. 201 Tomi I, donec paulo post inceptum Tomum II haec laborum pars plene ei concredita est, cum Em.mus Card. Zigliara ab omni collaboratione immediata sensim se retrahere inceperat. — Insuper pro Summa contra Gentiles ipse fere omnes auctorum citationes in fontibus examinavit; ad usum quotidianum editorum commodam exaravit transscriptionem totius Autographi superstitis servata adamussim foliorum linearumque verborumque dispositione cum omnibus correctionibus, additionibus, lituris superadditis, immo etiam servatis singulorum verborum compendiis in transscriptione illarum duarum paginarum ex Autographo photomechanice reproductarum in Tom. XIII. Item composuit descriptionem Autographi in Tom. XIII p. VI-XI, et priorum redactionum pro parte ex ipso Autographo collecta: Tom. XIII p. 6*-61*; XIV p. 14*-59*, cum notulis Tom. XIII p. 5*; XIV p. 4*-5*, 42*-43*. — Quidquid denique in Tomis IV-XV spectat ad textum, notulas, introductiones et apparatus criticos commentatorum Caietani et Ferrariensis, haec omnia, vastissima edendi materia, a P. Mackey praeparata sunt, si tantum excipias praefationem et partem alteram ultimi Tomi XV.

R. P. Lyttleton, finita communi codicum lectione, diu libenter privatam praestare pergebat collaborationem socio codicum perscrutationi praeposito. In die autem magis occupabatur proprio labore ab initio suscepto, in examinandis, corrigendis ex ipsis fontibus cuiusque generis citationibus auctorum, in colligendis locis parallelis in ipso S. Thoma etc. Ma-

xime totus erat in illis post inceptam editionem Summae Theologiae quam ut primum absolvendam iusserant litterae *Volumen tertium* S.S. Leonis XIII P. M. diei 2 Octobris 1886. Imprimis cura ei erat citationum ab ipso S. Thoma explicite adductarum, deinde etiam, quantum sibi licebat pro maturandi necessitate adhuc particulariore instructione roborata, locorum indirecte vel implicite tantum allegatorum. In his omnibus, minutis singulis, mole maximis si totum consideres, quantum continue profecerit iam aliqualiter ostendit sensim crescens numerus notularum in novem tomis Summae Theologiae, clarius autem rerum peritis patet qui adire velint omnia quae ipse uberiore illustratione de citationibus exaravit in praefationibus tomorum VIII-XII.

Haec sunt quaé editio leonina debet scientiae, industriae Patrum Mackey et Lyttleton. Qualem peritiam et patientiam varia haec opera requisiverint, quanto temporis impendio ipsi usi sint, omnes rem similem experti facile intelligent. At certe multi qui docendo et scribendo plus illis publice florent, non suspicantur, commode textum leoninum S. Thomae et commentatorum notulasque perlegentes, quanta abscondita laborum mole ipsis viam planam reddiderint Patres Mackey et Lyttleton, viri ingenii acumine forte longe eis superiores, sed per totam vitam studiis inhaerentes arduis et subordinatis. Errat autem qui intellectus dotes eis suffecisse putet. Nonne editionis leoninae omniumque similium operum historia potius contrarium probare videtur? Ingenium comitetur oportet constans voluntatis devotio. Hanc plene Tu solus cognoscere potes, hanc filiali obedientiae obsequio sancitam auctamque pro utriusque merito in aeternum coronare digneris *qui iudicas iuste et probas renes et corda* (Ier. XI 20) Omnipotens et Misericors Domine.

PRAEFATIO

PER litteras *Quum certa* diei 4 Oct. 1893 ad Reverendissimum Patrem fr. Andream Frühwirth, Magistrum Generalem Ordinis Fratrum Praedicatorum, Leo XIII P. M. f. r., huius editionis Operum Omnium S. Thomae ab Eo Leoninae nuncupatae Institutor et Moderator Supremus, mortuis tribus S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus quos anno 1880 curandae editioni praefecerat (cf. Tom. I p. xxv), haec sancivit: « Incepti persequendi perficiendique munus Dominiciano Ordini, cui praees, mandare decrevimus... Viris itaque a Te, Dilecte Fili, ex religiosa Familia tua eligendis eam curam demandamus, eosque volumus... operis sui perfunctionem ad eas normas exigere quas a tribus quos diximus S. R. E. Cardinalibus repererint constitutas » (Tom. VIII p. vii).

Quantopere normae constitutae plenam rationem habuerint de curandis indicibus, etiam tunc cum continuae instantiae S. S. Leonis XIII operis progressionem quam maxime accelerare pergebant, cuivis patet inspicienti in tribus solis prioribus Tomis octo copiosos indices, a rerum bene peritis compositos, apte dispositos, nitida claraque litterarum forma expressos. Iure quidem. Quod enim hac nostra aetate undequaque facilior redditus studiorum usus vix evitabili necessitate imponere videtur cuivis libro utcumque paulo fusius de aliqua materia agenti, quod iam adesse videmus in editionibus antiquioribus operum S. Thomae, in editione principe utriusque commentatoris Caietani et Ferrariensis, quod denique per haud spernenda conamina praecursoria non raro invenitur in antiquis codicibus manu scriptis, indices dico rerum et auctorum, hoc certo deesse non poterat ultimo huic omniumque solemnissimae Leoninae editioni Operum S. Thomae.

Indices commodo alphabetico ordine dispositi, sive quod expedite introducunt nescientem in opera et doctrinam auctoris, sive quod memoriae defectui supplent apud rerum iam aliqualiter peritos (primum sit principaliter, alterum secundarie tantum intentum), studiosorum mentibus librorum doctrinarumque multitudine oppressis acceptissimum operae temporisque compendium afferre possunt solentque. Ubique igitur et in quavis materia indices apte confecti maximae semper habiti sunt utilitatis, ne dicam necessitatis.

Nihil igitur magis e re nata esse videbitur, nihil magis normis constitutis consonum omniumque desiderio exspectatum, quam quod etiam duobus operibus praestantissimis S. Thomae eorumque annexis commentariis celeberrimis, idest integris Tomis nostris IV-XV, addantur indices, non autem qualescumque, sed indices ea confecti animi diligentia, rerum ubertate, typorumque claritate quae editioni Leoninae congruunt ex illustrissima suprema sua institutione, ex sua pariter debita munifica edendi ratione.

Aggredientes plurimis abhinc annis arduum munus absolvendi indices in utramque Summam earumque commentaria probe sciebamus laborem istum necessarie aliquantum procrastinaturum esse recensionem criticam aliorum operum S. Thomae vix minus desideratam ubique, immo plus apud nonnullos assiduo usu iam versatiores effectos in Summis et commentariis. Utrumque laborem simul acriter persequentes, magis autem bono communi quam pauciorum votis consulentes, item prius obsequentes normis statutis quam proprii animi studiis, ab ipso initio intercessionis nostrae prioritatem publicae editionis dare indicibus statuimus.

Quanti temporis impendio omni exspectatione maiore nos gravaverint ipsius materiae edendae arduitas et vastitas, una cum laboris anteacti integra recognitione ad nova criteria, dici non potest; nec expositione indiget quantam moram progressui laborum insuper per mul-

tos annos adiecerit collaboratorum, operariorum rerumque typographicarum defectio, quippe cum nuper peracto infausto tempore plerique omnes scientiarum cultores et editores alias et saepius his simillima viderint, forte ipsi quoque passi sint.

Nunc post integre percursam multorum annorum viam assiduae praeparationis, bene etiam superatis cum tota re leonina Deo favente rerum temporumque adversorum angustiis, cum felix tandem illuxit dies quo nobis datur introducere hunc librum mole sane ingentem et tamen nil novi nisi indices omne genus proferentem, nescimus quid hac opportunitate dicere aptius possimus quam alta voce monere quotquot indices istos pervoluturi sint, eos nihil aliud esse, nec unquam plus esse voluisse, re pariter ac nomine, quam *indices*, idest qui *viam indicent nescientibus*. Haec enim duo praecipue ad rationem indicis pertinere videntur: primum, quod tantum indicat *viam* quae prompte ducit ad cognoscendam de re quaesita doctrinam ex ipso auctore, quin ullo modo se auctori substituere intendat; alterum est quod indicat viam imprimis *nescientibus* doctrinam, ut eos igitur clare edoceat prae ceteris illam viam tutam ducentem ad doctrinam de re quaesita in proprio loco expressius traditam, quin ullum periculum incurrant imperitae selectionis inter plurima de eadem re undique congesta elementa separata.

Index huic conceptui respondens imprimis distinguatur oportet a consimilibus elenchis quocumque nomine circumferuntur, uti sunt florilegia sententiarum; vel thesaurus, enchiridion definitionum; vel summarium, synopsis doctrinae, etc. Utut est de horum omnium utilitate maxime pro documentis historicis, pro libris et auctoribus antiquioribus in ipsis fontibus aditu difficilibus, certe in re ardua theologica et philosophica et pro auctoribus posterioribus, quorum opera maiora in manibus teruntur omnium, indicum opportunitas mox in abusum et periculum vertitur illis studiosis qui, vix minus laboris fugae quam animi levitati indulgentes, ex solis commodis indicibus se satis bene auctorem cognovisse praesumunt; non desunt qui S. Thomam hac tantum via cognitum iudicare, immo impugnare posse sibi arrogent. Qui indicem componit, inde a primo conceptu huic abusui viam praecludere conetur; quod nos rite fecisse putamus per totum librum, sed expressiore modo in altera tomi parte, in indicibus rerum, multo magis periculo abusus expositis, per materiae distributionem in duplicem indicem: materiarum et elementorum.

Deinde index, quantalibet oneratur copia verborum, minime tamen accedere putandus est ad illam numero completam tabulam omnium verborum in textu quoquo loco ac modo occurrentium, concordantiarum nomine pernotam. Hoc bene recolant praesertim ii qui usu se iam versatos existimantes in utriusque Summae dispositione, itaque praetereuntes forte tanquam sibi supervacaneum indicem materiarum, indicem elementorum tantum percurrunt vel ut inveniant elementum quoddam determinatum praecognitum e memoria elapsum, vel ut colligant illa sola elementa quam maxime dictione minuta convenientia ad sibi propriam de aliqua re praehabitam et praedilectam opinionem. Tali indicum usui, qui magis esse videtur iam doctrinam scientium quam nescientium, minime primarie adaptati sunt, nec adaptari potuerunt, indices nostri; huic plene satisfacere non potest nisi index immensae sane molis per omnia exacte ad absolutam concordantiarum formam conceptus et perfectus, quodcumque verbum cum contextu ex quocumque loco utriusque Summae adducens, opus prope giganteum, longissime excedens normas statutas et proportionem hic in editione Omnium Operum S. Thomae observandam inter ipsa opera et relativos indices auxiliario tantum modo et intentione additos.

Haec sunt quae praefanda erant de conceptu universali et de normis supremis quibus hunc indicum tomum composuimus. Sunt numero viginti septem indices omnes inter quorum terminos nos variegatam copiam innumerabilium auctoritatum et immensam materiam rerum notabilium ordinate colligere posse credidimus. In his ordinandis, singulis secundum propriam normam et regulam infra exponendam in suo cuique proprio loco, vix minus quam ad normas supremas etiam perpetuo animum attentum habuimus ad omnia quae experientia habita in laborum progressu nobis mutanda vel addenda suadebat.

Ad tantam indicum multitudinem et varietatem accessum faciliorem reddere conati sumus per duplicem amplissimum indicem generalem, in priore parte omnium auctoritatum, in altera parte omnium rerum notabilium. Plenam enim utilitatem hic indicum tomus non dabit nisi illi qui scite eo uti didicerit; nonne haud absimiliter contingit ut optimus quisque index viarum, uberrima quaeque tabula geographica parum iuvet usum nescientibus?

Forte non omnes omnia quaesita invenient, forte non omnibus omnia placebunt in indicibus. Dissentiant qui velint, et quantum velint, dummodo admittant nullam rem hic negligentiae, casui aut malo arbitrio relictam esse: absque ulla regula nisi illa communis nostrae humanae infirmitatis remanent tantummodo errores involuntarii. Quo autem intimius in hoc tomo interminabilibus rerum minutarum et numerorum elenchis annexa erat continue errandi occasio, eo libentius repetimus illud sapienter dictum a decessore nostro: « Ingenue fatemur quod menda transcriptionis parum nos movent... Cuivis docto sufficit hominem esse ut ei per modum actus accidant quae mercenario scribarum generi accidunt ex malo habitu vel nescientia » (Tom. XIII p. XVII, n. 6). De erroribus nostris eorumque correctione infra specialis habetur sermo, item de citationibus erroneis in ipsa S. Thomae littera occurrentibus.

Completur tandem cum hoc tomo XVI editio Leonina utriusque Summae cum Commentariis, profecto serius mera annorum computatione, minime autem serius aeque ac perite iudicantibus immanem in tomis IV-XVI congestam molem absconditorum ingratorumque laborum, iniquam saepius virium, rerum temporumque conditionem, perfectionem acquisitam longe ultra communem doctorum illius temporis exspectationem.

Spei nostrae etiam huic tomo non defuturum esse « illud vehementer optabile maximeque dignum doctis laboribus praemium, sapientum approbationem » (ex litteris S. S. Leonis XIII P. M., cf. Tom. IV p. VII), laeta adiungitur legitima exspectatio proximae Operis Leonini maturationis. Hanc enim per auctam virium rerumque copiam quam maxime efficere conabitur Reverendissimus P. fr. Emmanuel Suarez, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, nomine et auctoritate totius Capituli Generalis filiali obsequio annuentis desiderio ab ipsa S. S. Pio XII P. M. feliciter regnante expresso ad Patres Capitulares die 22 Sept. 1946 his benevolis augustis verbis (*Acta Apost. Sedis*, vol. XXXVIII p. 388):

« NEQUE VOLUMUS SILENTIO PRAETERIRE ALIUD, QUOD NOBIS VALDE CORDI EST, LEONIANAM VIDELICET OPERUM S. THOMAE AQUINATIS EDITIONEM, QUAE NOVO STUDIO OPORTET PROVEHATUR: DE INCEPTO ENIM AGITUR, QUOD EXIMIO VOBIS DECORI ERIT AC PHILOSOPHICIS ET THEOLOGICIS DISCIPLINIS, QUARUM DOCTOR ANGELICUS DUX SEMPER PERITISSIMUS ET INOCCIDUA LUX EST, EMOLUMENTO PERENNITER MANSURO ET OLIM AEQUA AESTIMATIONE PENDENDO ».

INTRODUCTIO

I.

De compositione huius tomi.

Regendae immensae materiae qua necessarie constaret index qui complecturus erat 12 tomos integros, singulos magnae molis, quaedam principia et regulas praestatui oportebat. Horum alia, semper magni habita inde a primis tomis leoninae editionis, nunc pro huius tomi necessitatibus vegetius vivunt, urgentius applicantur, alia specialiter indicum necessitatibus noviter instituta sunt, deducta partim ex conceptu universali et normis supremis suprapositis de indicum officio, partim ex experientia habita.

Haec igitur praecipua sunt de quibus in generali aliqua praefanda occurrunt antequam singulos indices specialius introducimus: primo de utilitate et adaptatione huius tomi gregi quam maximo studiosorum; secundo de ratione conficiendi indices qua fieri potuit obiectivitate; tertio de apta materiae distributione per varia indicum genera, et de regulis constituendis pro singulis indicibus; quarto de connexione indicum; quinto de assidua correctione indicum.

§ I. - *De utilitate universali indicum.*

Imprimis nobis iam inde ab incepto opere statutum erat ut quanta fieri posset universalitate et largitate iste indicum tomus cederet in publicam utilitatem; idest ut facilis pateret aditus universis omnibus qui, qualibet ceteroquin uterentur editione, duabus Summis S. Thomae studiose incumbere intendunt. Hunc igitur tomum XVI editionis leoninae voluimus esse ex redactionis methodo non tam indicem immediatum et exclusivum in tomos praecedentes IV-XV seu in *nostram* editionem duarum Summarum quam potius indicem immediate sese referentem ad ipsos libros S. Thomae et Commentatorum in quavis editione.

Quamobrem primo omnium elenchorum indicationes non remittunt lectorem ad tomos, paginas et columnas propriae tantum editionis, quod saepe fieri solet in consimilibus laboribus, sed ad ipsius operis divisiones et subdivisiones quas S. Thomas ipse instituerat. Hac agendi ratione nobis, ut rem experti probe scimus, per valde longiorem, implicatiorem et variabiliorem formulam singulae indicationis labor compositionis plurimum augebatur, simulac dabatur valde frequentior occasio errorum, urgentior igitur necessitas iteratae inspectionis; durior longiorque sic evadebat etiam accurata correctio plagularum quae cum vix evitabili necessitate subintrare solent scriptioni et typograficae compositioni huiusmodi serierum longarum numerorum et signorum.

Insuper hunc tomum imprimendum curavimus numero exemplarium maiore solito, ut etiam maior haec acquirendi facultas, una cum universaliori usui adaptata compositione, permultis studiosis privatis et bibliothecis publicis, quavis utantur editione Operum Omnium S. Thomae, occasionem daret valde augendi suae collectionis antiquioris utilitatèm additione horum novorum indicum utriusque Summae et Commentariorum Caietani et Ferrariensis.

§ II. - *De indole obiectiva indicum.*

Assiduus semper erat editorum conatus imprimere laboribus editionis leoninae impersonalem illam quam vocant obiectivam indolem et methodum, quae quantum res permittunt excludere conantur in alieni auctoris editione conceptus et opiniones personales editorum circa doctrinam auctoris edendi. Non enim, nisi ubi agatur de determinanda aliqua lectione variante dubia, adhuc ad recensionem criticam textus pertinere videtur doctrinam auctoris explicare per notulas historico-exegeticas aut eam defendere contra impugnatores modernos. Huius generis adnotationes in solo nostro tomo I multae extant compositae ab Em.mo Domino Card. Zigliara, sed illae ab eodem eximio philosopho iam scripto exaratae pro tomo II non amplius admissae sunt et remanserunt hucusque in nostro archivo. Item restitutio textus secundum methodum genealogiae lectionum variantium, descriptam in tomo XIV p. XXXIII sq., quam maxime excludere conatur subiectivismum in hac laborum parte praecipua.

In hoc indicum tomo indices auctoritatum plene, ni fallimur, his votis respondent; magis conatui resistebant indices rerum ex ipsa quidem natura sua. Hic enim iam in selectione verborum elenchi alphabetici, tum in locis assumendis sub his vocibus, in formula denique singularum notiuncularum, in harum connexione etc., tanta frequentia recurrunt occasiones quibus sponte, immo necessaria quadam fatalitate sese manifestabit proprius editoris animus, diversus pro diversitate colligentium tam ex personali eorum aptitudine quam ex dispositione et attentione momentanea, ut ad absolutam et perfectam obiectivitatem pervenire vix unquam dari posse videatur in tanto opere, mole et laboribus impensis vastissimo. Praesertim apud auctorem, ut est S. Thomas, selectio obiectiva et completa assumendorum in indice valde difficilior redditur ex ipsa mira abundantia qua pulchre dicta extant ubique in littera utriusque extensae Summae. Quamobrem enumeratio completa simulac obiectiva nobis facilior evasit pro textu commentatorum et pro textibus ex prioribus redactionibus Summae contra Gentiles.

Qua tamen via pro textu S. Thomae illi enumerationi obiectivae et completae rerum principaliorum proxime nos accedere potuisse confidimus, in principio indicis rerum fusius explicatur ubi agitur de necessitate et ratione duplicis indicis rerum, cf. pag. 283 sq.

§ III. - *De divisione indicum.*

Maxime sane iuvabunt utilitati huius tomi indicum aptae et adaequatae divisiones ingentis materiae et clara typographica harum distributio, quo libentius studiosi indicem adeant, facilique negotio singula desiderata invenire possint.

Divisio suprema sumpta est ex parte ipsius auctoris secundum quod doctrinam aliquam profert proprio nomine vel secundum quod adducit testimonium alterius auctoris (vel suiipsius ex alio loco) in confirmationem, explicationem, refutationem, etc. Indices nostros igitur divisimus in duas partes principales, in *indices auctoritatum citatarum* pag. 1-280, et *indices rerum notabilium* pag. 281-646.

Hae duae partes adeo sunt diversae conditionis ut utraque pars aliis studentium intentionibus, proprio quasi studiosorum coetui deserviat. Prior namque magis desiderabitur a viris historiae doctrinarum studentibus, alter potius philosophiae et theologiae systematicae cultoribus accepta erit. Ex proposito igitur compositionem typographicam, hoc modo accuravimus ut quibus placeat facultas sit tomum dividere in has duas partes fere aequales sine ulla textus laesione, sine ulla nitidi aspectus diminutione in introitu alterius partis.

Haec divisio totius materiae per indices *auctoritatum* et *rerum* adaequata est. Non igitur admittuntur in indicem auctoritatum quaecumque nomina propria ex historia sacra vel profana quomodocumque occurrentia in textu S. Thomae et Commentatorum, sed ad instar rerum et suo loco alphabetico inseruntur in indicem rerum illa nomina propria quae memoratu digniora habita sunt. Nostri igitur indices auctoritatum minus late patent, indices rerum latius patent quam quandoque alibi

intelligitur sub titulis indicis scripturistici, indicis nominum, indicis analytici seu rerum.

De divisione indicum auctoritatum. — Indicum auctoritatum divisionem principalem desumere voluimus *ex parte auctoris citati* triplici et adaequata divisione materiae: in auctoritates citatas ex Sacra Scriptura, auctoritates citatas ex libris S. Thomae, auctoritates citatas ex quibuscumque aliis auctoribus, operibus seu fontibus.

Secunda divisio haec est quod singulae dictae tres sectiones necessarie subdividendae erant in tres indices distinctos *ex parte auctoris citantis,* secundum nempe quod auctoritates citatae sunt aut ab ipso S. Thoma, aut ab eius commentatoribus Caietano et Ferrariensi, aut ab editoribus leoninis. Hos omnes sedulo et bene distingui oportet.

Distinctio necessaria est non solum ex ratione iustitiae, ut nempe suum cuique tribuatur, sed etiam, immo magis, propter ipsam studiosorum utilitatem, imprimis eorum qui litterae duarum Summarum historico-exegetice operam dant. Ipsis enim valde displiceret permixtas videre in uno elencho continuo citationes debitas diversis auctoribus. Talis elenchus unicus historiae cultoribus, quorum praecipue interest accuratissimum habere elenchum eorum quae ipse S. Thomas citavit, onus gravissimum imponeret denuo examinandi singulas indicationes ut extraherent ea quae soli S. Thomae debentur. — Praeterea per elenchum unicum omnia citata simul continentem index noster derogaret supradictae intentioni principali de universalitate utilitatis laboris nostri (cf. supra § I): remaneret nempe talis elenchus aliquo modo formaliter elenchus unus indistinctus omnium citationum quae occurrunt in editione leonina; non haberentur indices proprii et tam desiderati citationum alter S. Thomae, alter commentatorum.

Nos igitur, labore improbo et longissimo, apud singulas notulas marginales ad textum S. Thomae et Commentatorum denuo interrogavimus ipsum textum ut sciremus cui attribuenda sit citatio, utrum auctori an editori.

Uniri posse putavimus in eodem elencho citationes factas a Caietano et Ferrariensi; cuivis enim compertum est Caietano deberi omnes citationes remittentes lectorem ad Summam Theologiae, Ferrariensi eas ad Summam contra Gentiles sese referentes.

Item in uno elencho univimus citationes factas ab editoribus in margine textus articuli S. Thomae et eas factas in margine textus commentatorum Caietani et Ferrariensis, ne elenchorum numerus ultra necessitatem multiplicatus confusionem pareret. Hic enim iam ex ipsa formula singulae indicationis legenti clare patet ubi citatio invenienda sit; compendia solita *arg., co., ad 1, 2,* etc. eum remittunt ad notas marginales in textum S. Thomae, *com. I, II,* etc. ad illas in textum commentatoris, *tit.* ad locos parallelos in editione nostra positos sub titulo singulorum articulorum.

Ex hac materiae divisione novem igitur sunt principales indices auctoritatum quibus constat pars prior huius tomi quorum elenchum habebis in fine prioris partis p. 279 et in fine totius tomi p. 647-648.

Ad promptius habendas unitas omnes citationes eiusdem auctoritatis, confecimus, in p. 275-278, conspectum generalem ubi pro singulis libris S. Scripturae, pro singulis operibus S. Thomae, pro singulis auctoribus ceteris indicatur in qua sectione et pagina huius tomi citationes dictarum auctoritatum singulae enumeratae inveniuntur.

His indicibus ter accedit appendix, in p. 69, 107, 226-227, post singulos indices auctoritatum citatarum a S. Thoma, exhibens auctoritates ab eo citatas in priore redactione Summae contra Gentiles reproducta in appendicibus Tom. XIII et XIV, cum recognitione fontium tunc omissa, nunc demum hic facta. Insuper bis adest, in p. 175 et 273, appendix cum auctoritatibus citatis in praefationibus editorum.

Ad materiam harum quinque appendicum non amplius facta est expressa remissio in dicto indice generali p. 275 sq.

De divisione indicum rerum. — Omnis materiae immensae prima divisio sponte sese imponens tripartita est, nempe in tres partes exhibentes separatim res notabiles ex textu S. Thomae, ex commentariis Caietani et Ferrariensis, ex praefationibus editorum leoninorum.

Horum trium indicum primus, rerum notabilium in S. Thoma, iterum subdividitur tripliciter: primo, in *indicem materiarum* seu indicem capitum doctrinae de quibus S. Thomas ex professo tractat per integram quaestionem, articulum aut capitulum; hunc introducunt tabulae schematicae cum studio comparato de principiis et compositione Summae Theologiae et Summae contra Gentiles; secundo, in *indicem elementorum* seu rerum de quibus S. Thomas agit magis transeundo et per obiter dicta. Hunc, tertio, excipit in appendice index minor ambitu, factu autem difficilior, nunc demum reddens aditu facilem arduam materiam cognitu perutilem praesertim studiosis comparatae dictionis thomisticae, index nempe copiosus rerum notabilium quas qua potuimus diligentia ac pietate collegimus ex prioribus redactionibus textus Summae contra Gentiles.

Index rerum in commentatores unico tantum constat elencho alphabetico, sub singulis tamen vocibus duplicem materiam continente.

Postea sequitur elenchus synonymorum et correlativorum qui extendere intendit usum praecedentium indicum rerum ultra proprios terminos.

Index rerum in praefationes editorum in sex distinctas tabulas rerum variarum subdividitur.

Etiam in altera hac parte, quo facilior sit accessus ad immensam materiam distributam per tot indices diversos, addidimus indicem generalem omnium rerum notabilium qui statim doceat studiosos praesentiam vocis quaesitae et eius locum exactum in hoc tomo.

Hunc indicem generalem excipit et librum claudit solitus index, totius tomi materiam per summa capita describens.

Praedictorum indicum, numero 27, nimia est varietas quam ut ex solo conceptu generico et normis supremis de indicum natura et officio statim deduci possent omnes regulae particulares in singulorum indicum compositione observandae.

Initium omnis laboris erat selectio cuiuscumque auctoritatis et rei notabilis ex textu, notis, commentariis et praefationibus tomorum IV-XV, cum accurata singulorum descriptione in schedula separata. Haudquaquam semper erat facile statuere leges certas pro schedularum selectione et descriptione. Qui enim in principio nobis videbantur esse indices factu faciliores, mox inventi sunt habere sua multa dubia de rite describendis schedulis et de eis collocandis in proprio loco.

Itaque praeter observationem aliquarum regularum quas pro singulis indicibus deduximus ex proprio fine, praeter perpetuam animi attentionem ad omnia quae futuram inspectionem aeque facilem simulac gratam et commodam reddere possent ex parte dispositionis typographicae, etiam sedulo interrogavimus experientiam, in multis casibus sponte obviam habitam, in aliis industria quaesitam. Nullam addiscendi occasionem, nullam corrigendi meliorandique opportunitatem praetermisimus. Sicut laboribus decessorum anteactis non pepercimus revidendo omnia ad nova criteria, ita etiam propria incepta haud semel subiecimus novis curis, immo quandoque suppressioni totali cum novi laboris substitutione, toties quoties id ratio proportionate gravis suadebat. Indicum enim compositor in novam formam redigens immensam doctrinae materiam per innumerabilium schedularum farraginem funditus disiectam, non immerito assimilari dici potest artifici. Libenter igitur audivimus S. Thomam: *Ea quae sunt artis, habent efficaciam ex sola ratione, et ideo ubicumque melior ratio occurrat, est mutandum quod prius tenebatur* (Iª IIªᵉ 97 2 ad 1).

Sed nec tunc in describendis et collocandis schedulis semper adamussim regulae statutae observari potuerunt; minime omnes casus particulares aeque sponte in ordinem statutum intraverunt. Hoc non derogat bonitati nec operis nec regulae, teste S. Thoma dicente: *Non est propter defectum qui in particularibus accidit aliqua ordinatio repudianda* (Gent. III 135). Immo in opere nostro quandoque aliquae normae sibi contrariari videbantur, et conati sumus solutionem aequam invenire ne unquam a iusto medio declinaremus.

Sic ex. gr. sollicitudo nostra praeveniendi indicum abusum, de quo cf. Praef. p. VIII, optime salvatur per distinctionem indicis materiarum et elementorum et per dispositionem internam prioris, sed in indice elementorum summa reverentia pro littera S. Thomae fecit ut elementorum descriptio aliqualiter accedat ad modum florilegii sententiarum, cf. tamen monitum expresse additum p. 371.

Ex hoc capite liberius tractavimus litteram Caietani et Ferrariensis. Ad naturam igitur et modum indicis puri magis accedit index rerum in commentatores, maxime omnium autem index rerum in praefationes editorum.

Quae circa indices rerum praefanda et explicanda sunt, remisimus opportunius in alteram partem in ipso principio

singulorum indicum. Quod etiam in commoditatem cedet praecipue illorum qui duas partes separare vellent propter molem huius tomi.

§ IV. - *De connexione indicum.*

Quo maior sit et universalior indicum utilitas haud abs re erit brevi elucidatione, ornata exemplis et datis quibusdam statisticis, evocare et exhortari studiosorum mentes ad considerandam opportunitatem amplificandi fructuose usum indicum ultra proprios limites et finem immediate intentum.

Finis proximus indicum est indicare praesentiam auctoritatis vel rei quaesitae in textu S. Thomae, commentatorum vel in notis et praefationibus editorum. In utraque tomi parte per indicem generalem cuivis prompta datur occasio colligendi et comparato studio subiiciendi omnes locos qui in tomis IV-XV de una eademque auctoritate vel re inveniantur.

Primus effectus huius collationis erit cognitio *ipsius auctoritatis citatae et rei quaesitae.* Alter effectus, quandoque primarie intentus, e. g. ab historiae cultoribus, est cognitio *ipsius auctoris citantis;* ex auctoritatibus adductis enim multa erui possunt de eruditione et de fontibus, immo de ipsa persona auctoris citantis.

I.

Auctor citatus tanto melius cognoscetur quanto maior erit numerus et varietas locorum et librorum qui ex eo adducti sunt.

Si agatur de ipsa doctrina quaerenda, tanto amplior certiorque erit cognitio quanto maior erit numerus locorum ubi de ea in textu S. Thomae et commentatorum agitur, praecipue si inter eos complures adsint qui rem quaesitam expressius et ex professo tractant.

Ex utroque capite indices nostri tantam materiam congesserunt ut iam ex singulis eorum, sed certius ex eorum coniunctione facili negotio via inveniatur ad complures investigationes nonnullius momenti, cum pro exegesi auctorum et librorum a S. Thoma et commentatoribus citatorum, tum adhuc magis pro intimiore cognitione ipsius doctrinae S. Thomae et commentatorum. Utrumque illustremus.

A. - Cum indices auctoritatum praecedant in hoc tomo indices rerum prius illustramus connexionem indicum auctoritatum.

Aliqui libri et auctores in utraque Summa et commentariis tanta frequentia allegantur, ut fere nulla sit pars libri, vel saltem nulla pars alicuius momenti, quae non uno aliove loco, saepe pluries, adducatur, sive a S. Thoma, sive a commentatoribus, sive in notis editorum. Quo facto si quis unitas sumere velit omnes has citationes, fere materiam proximam habebit pro componendo commentario perpetuo totius libri. En quaedam exempla:

Incipiamus cum prima sectione, assignata citationibus ex S. Scriptura. In solo textu S. Thomae utriusque Summae numerus citationum explicitarum ex S. Scriptura, in pp. 3-69, superat 11000, quae se referunt ad plus quam 5000 versus distinctos. Si his citationibus iunguntur illae factae a commentatoribus et ab editoribus, in pp. 70-84, earum numerus totalis superat 14000, constituens copiam uberem e. aptam pro nova quadam componenda « catena aurea » in S. Scripturam ope anulorum ex auro purissimae inspirationis thomisticae. Etiam sine adminiculo similis catenae integre perfectae, iam cuivis concionatori dominicali ope indicum prompta datur occasio hauriendi ex S. Thoma et commentatoribus pulcherrimas illustrationes versuum epistolae et evangelii dominicae.

In secunda sectione indicum auctoritatum, in auctoritatibus citatis ex S. Thoma, pp. 85-176, in primo huius sectionis indice, cui non haesitavimus dare nomen « S. Thomas sui interpres », tanta frequentia adsunt citationes reciprocae ex Summis, ut iste elenchus iure dici possit constituere quasi perpetuum commentarium S. Thomae in seipsum. Si ex secundo et tertio indice huius sectionis e. g. coniungas 794 citationes factas a commentatoribus ad illas 2642 factas ab editoribus ex Commentariis in IV Libros Sententiarum, vel illas resp. 887 et 1731 factas ex Quaestionibus Disputatis et Quodlibetis, si recolas citationes factas a commentatoribus in secundo indice sese semper referre ad locos iam aliqua ratione celebriores, si item recolas citationes in tertio indice esse pro maiore parte locos parallelos ex ipso S. Thoma, tunc facile intelliges hos duos indices concatenatos revera materiam praebere ad constituendum novum, magnum, perdoctum, rebus profundis refertum, hucusque incognitum commentarium in illa duo opera maiora S. Thomae: in eius Commentaria in IV Libros Sententiarum et in Quaestiones Disputatas et Quodlibeta. — Item 1002 citationes solius Ferrariensis ex Summa Theologiae fere constituunt commentarium quoddam perpetuum valde utiliter adhibendum iuxta celeberrima commentaria Caietani, et vix accessibile sine adiutorio nostri indicis.

Generatim iam ex solo numero citationum in secundo indice huius sectionis notari potest differentia commentatoris Caietani a Ferrariensi. Ferrariensis valde vicinius litterae S. Thomae adhaeret, magis formaliter commentator est, dum Caietanus modo magis independenti procedere videtur. Notetur e. g. in tabulis infrapositis magna differentia numeri citationum Caietani et Ferrariensis pro Quaestionibus Disputatis et Quodlibetis, pro Commentariis in IV Libros Sententiarum et pro Commentariis aristotelicis S. Thomae.

In tertia sectione indicum auctoritatum complures adsunt auctores et libri qui tanta frequentia adducuntur in tribus elenchis quibus constat haec sectio, pp. 177-274, ut ex solis citationibus in nostris tomis IV-XV adductis haud levis erui possit cognitio mentis et doctrinae illorum auctorum. Frequentia locorum citatorum super omnes alios longe eminent Augustinus et Aristoteles; abundanter etiam citantur e. g. Dionysius Areopagita, Glossa in S. Scripturam, Ius Canonicum, Gregorius Magnus, Hieronymus, Ioannes Chrysostomus, Ioannes Damascenus. Apud Commentatores notetur frequentia citationum ex Averroe, Durando, Scoto; apud Caietanum e. g. notetur singularis frequentia citationum ex homine tunc quasi nova stella laudato, nunc vix amplius cognito, Martino de Magistris. De longissimo elencho sub Petro de Bergamo in tertio indice huius sectionis infra specialius dicetur.

Dicta facilius patebunt ex aliquibus datis statisticis quae excerpsimus ex diversis locis speciminis gratia:

NOTA. — In computandis citationibus nondum ratio habita est de citationibus relative paucis, quae extant in elencho Addendorum et Corrigendorum p. XXIII - XXV

Specimina selecta ex prima sectione:

Primus numerus indicat numerum citationum.

Secundus numerus indicat numerum locorum distinctorum. Horum non damus summam, cum loci citati a commentatoribus et ab editoribus quandoque sint iidem ac illi citati alibi a S. Thoma.

Libri S. Scripturae	S. Thom.	Commentatores		Editores			Summa
		Caietan.	Ferrar.	In S. Thom.	In Caiet.	In Ferrar.	
Genesis	439 184	36 36	3 3	144 113	28 25	3 3	653
Psalmi	735 424	60 53	1 1	31 31	36 32	1 1	864
Ev. Matthaei	1015 438	196 89	10 11	189 165	49 55	7 7	1366
Ad Romanos	813 224	41 28	3 3	86 58	49 28	1 1	993
Ad Hebraeos	347 132	14 15	— —	59 49	16 18	1 1	437
Apocalypsis	132 77	8 9	3 3	17 15	10 10	1 1	171

Data statistica ex secunda sectione:

Numerus indicat numerum citationum.

Opera S. Thomae	S. Thom.	Commentatores Caietan.	Ferrar.	Editores in S. Thom.	in Caiet.	in Ferrar.	Summa
Summa Theologiae	6611		1002	2252	278	68	10211
Summa c. Gentiles	1507	132		1154	3	51	2847
Quaest. Disp. et Quodlib.	—	165	722	1674	20	37	2618
Comm. in IV Sent.	cf. p. 107c	192	602	2557	33	52	3436
Comm. in Aristotelem	—	16	143	4429	948	364	5900
Comm. in S. Script.	—	7	17	1097	—	—	1121
Opuscola	—	10	60	1083	51	16	1220
Summa	8118	522	2546	14246	1333	588	27353

Specimina selecta ex tertia sectione

Numerus indicat numerum citationum.

Auctores et Opera	S. Thom	Commentatores Caietan.	Ferrar.	Editores in S. Thom.	in Caiet.	in Ferrar	Summa
Anonyma etc.	139	88	4	50	12	1	294
Haeretici etc.	269	—	—	—	—	—	269
Aristoteles	4130	1232	474	914	337	105	7192
S. Augustinus	3179	151	57	412	59	5	3863
Averroes	81	113	147	47	11	2	401
Boetius	136	12	14	14	5	1	182
Caietanus	—	771	5	14	285	29	1104
Capreolus	—	44	128	—	7	57	236
Concilia	104	38	1	17	7	—	167
Dionys. Areopag.	650	31	14	50	34	2	781
Durandus	—	171	34	—	7	2	214
Ferrariensis	—	—	223	12	—	56	291
Glossae in S. Script.	630	13	3	69	5	—	720
S. Gregor. Magnus	700	23	6	45	16	2	792
S. Hieronymus	272	8	—	37	7	—	324
S. Ioannes Chrys.	232	1	2	11	1	—	247
S. Ioannes Dam.	370	13	6	47	3	—	439
Ius canonicum	422	375	14	626	57	—	1494
Ius civile	78	20	—	86	25	—	209
Plato. Platonici	202	15	3	12	1	—	233
(Ioann. Duns) Scotus	—	609	192	—	15	4	820

B. - Connexio indicum maiorem adhuc fructum dare potest pro ipsa doctrina S. Thomae et commentatorum melius cognoscenda, praesertim si indicum perscrutator scite auxilio mutuo se invicem complere faciat indices rerum et indices auctoritatum. Hoc paululum illustrare iuvabit.

Imprimis inquirentium attentionem, postquam iam ope indicum rerum collegerint locos de re quaesita tractantes, dirigimus ad iam supranominatam sectionem secundam, ad tres indices auctoritatum citatarum ex S. Thoma, praesertim ad primum, cui nomen « S. Thomas sui interpres »; idem valet de indice « Caietanus sui interpres » in p. 236, et « Ferrariensis sui interpres » in p. 241.

Quanti momenti aliquod principium philosophicum vel theologicum sit in systemate thomistico, iam aliqualiter deduci potest ex solo numero locorum ubi vel ipse S. Thomas, vel commentatores, vel editores leonini lectorem remittunt ad locum quo primum vel principaliter illa principia tractantur; e. g. notetur in pp. 85, 108, 126 summa frequentia qua primi articuli et quaestiones I[ae] Partis citantur in reliqua Summae parte; vel qua citantur primae quaestiones I[ae] II[ae], cf. in pp. 90, 111, 128; vel Gent. I 13, cf. in pp. 105, 117, 135. Itaque studiosus non omittat ope indicum sectionis secundae examinare locos iam inventos, utrum forte recurrant necne iidem loci illustrati alibi a S. Thoma vel a commentatoribus.

Studiosus qui non tantum elementa doctrinae thomisticae, sed etiam ipsum systema thomisticum melius cognoscere velit, non omittat pro elementis inventis quae sibi prae ceteris placuerint, etiam indagare ope tabularum schematicarum in pp. 294-306 locum qui huic elemento competit in integro systemate theologico thomistico.

Deinde studiosus materiam collectam ulterius augeat collatione ad locos parallelos indicatos sub titulis articulorum iam inventorum, et hoc quidem dupliciter, primo legendo ipsos locos parallelos, deinde etiam conferendo hos locos in supradictis indicibus secundae sectionis.

Ultimo, qui in loco quaesito in margine adscriptam inveniat litteram D (= *Dubium* cf. Tom. IV p. XIII) cum numero arabico (indicante numerum in celebri Petri a Bergamo *Concordantia dictorum et conclusionum D. Thomae de Aquino*) non omittat quaerere eundem numerum in tabula longissima p. 267 a-270 c, utrum idem numerus alibi citetur necne in Summa Theologiae; e. g. numerus 752 ibi citatur 39[ies]. Loci sic cogniti ex sola nostra tabula mutua collatione se invicem utiliter complere possunt, etiam illi cui non praesto est editio illius Concordantiae. Quamvis in editione Piana etiam ad textum Summae contra Gentiles appositi exstent numeri Concordantiae, tamen non amplius in nostra editione (Tom. XIII-XV) additi sunt, nescio qua de causa; ex consequenti etiam in tabula infraposita deficiunt omnes numeri sese referentes ad Summam contra Gentiles.

Concatenatio indicum hoc modo peracta certo cuivis patienter et intelligenter inquirenti tantam praebebit uberrimam copiam locorum ex S. Thoma et commentatoribus ut de quocumque subiecto amplam elucidationem componere valeat « ad mentem S. Thomae ». Nonne professores philosophiae et theologiae hic apte et abundanter copiam invenire possunt quam utiliter discipulis distribuant pro solitis annuis exercitationibus scholasticis, si e. g. alius de alio subiecto faciat dissertationem ope indicum huius tomi de mente S. Thomae et commentatorum?

Mere incitamenti gratia submittimus nunc aliqua data statistica, ut ex solo iam numero locorum studiosi videant indicum ubertatem libentiusque eos adeant.

Numerus vocum distinctarum in diversis indicibus alphabeticis:

I in indice materiarum: 1230 — IV in indice commentatorum: 1139
II in indice elementorum: 1396 — V in indice synonymorum: 1457
III in indice deletorum: 291 — VI in indice editorum: 49
Summa omnium vocum distinctarum in indice generali: 2340

Numerus locorum indicatorum ad duodecim voces selectas ex principio alphabeti:

sub voce:	index I	index II	index III	index IV	*Summa*
angelus	34	160	2	60	256
anima	81	183	17	107	388
animal	16	125	18	16	165
caro	35	23	—	10	68
corpus	126	209	20	84	439
Deus	155	1434	188	157	1974
ens	7	99	3	45	154
esse	29	159	16	82	286
finis	41	305	14	66	426
forma	35	338	9	86	468
homo	99	217	18	51	385
intellectus	79	510	43	150	782

Bibliothecariis, archivistis, historiae cultoribus acceptum erit hoc summarium contentorum in tabulis de rebus notabilibus in praefationibus editorum:

codices manu scripti S. Thomae:	422
bibliothecae et archiva:	114
editiones operum S. Thomae	50
editiones commentatoris Caietani	18
editiones commentatoris Ferrariensis	9
nomina in indice nominum	101
voces in indice rerum	49

II.

Alter effectus connexionis indicum est amplior cognitio auctoris citantis. Ope enim connexionis indicum rerum et auctoritatum facile erit pro quacumque doctrinae parte ex duabus Summis componere elenchum locorum quibus haec doctrina tractatur cum accurata distinctione quae citationes debeantur S. Thomae, quae commentatoribus et quae editoribus leoninis.

Duo sunt praerequisita ad hoc ut investigatio circa fontes auctorum citantium rite peragi possit: primum est recognitio accurata textus citati ex fonte, imprimis auctoritatum explicite citatarum, deinde auctoritatum implicitarum inquantum fieri potest; quomodo utrumque fecerint decessores nostri, cf. infra p. XVIII b (1). Cum horum adnotationes omnes in eodem margine extent permixtae, praerequisitum est ut elenchi critice seiuncti adsint de illis citationibus quae auctori (S. Thomae vel commentatoribus) et de illis quae editoribus leoninis adscribendae sint; quomodo nos in hoc tomo per tabulas distinctas aeque iuste ac accurate suum cuique dare potuisse opinamur etiam inferius dicitur p. XVI § II.

Fontium investigatoribus nunc praesto sunt apti indices cum rerum, tum auctoritatum; eos adeant et sedulo examinent, primum studio absoluto, deinde studio comparato, sive unius partis doctrinae ad aliam, sive unius auctoris ad alium. Fieri non potest quin pro singulo auctore citante ex iis quae citat, ex numero citationum, ex modo citandi, ex comparatione ad alios auctores eiusdem aetatis, mox multa erui possint circa fontes, circa eruditionem communem illius temporis et illam huic auctori propriam, circa indolem denique personae citantis, imprimis ipsius S. Thomae, deinde commentatorum Caietani et Ferrariensis, tunc etiam aliqualiter de ipsis editoribus leoninis.

Primum quod sine dubio sponte apud quoslibet indices percurrentes admirationem concitabit, est numerus citationum, operum et auctorum ab ipso S. Thoma citatorum. Ex hac parte indices nostri fere revelatio quaedam dici possunt rei hucusque notae non nisi confuse vel tantum ex investigationibus particularibus et limitatis, immo rei forte plane ignotae apud non paucos qui theologiam thomisticam vix aliter cognoscunt quam ex eius parte magis speculativa. Non opus est ut hanc S. Thomae eruditionem explicitius ostendamus; ex paucis speciminibus in tabulis suprapositis res loquitur ipsa.

Tabulae autem, sicut et omnes notulae marginales tomorum IV-XV, rite interpretentur oportet. Singulae notiunculae indicant fontem auctoritatis citatae; perperam autem ex hoc concluderetur S. Thomam etiam ex ipso fonte immediate hanc auctoritatem desumpsisse. Immo de contrario constat: ipsi iam editores in praefatione tomorum XI p. XXIX-XXX et XII p. XI expresse probant S. Thomam pluries ex fontibus intermediis auctoritatem sumpsisse, praecipue ex Glossa et ex Iure Canonico. Probabiliter etiam S. Thomas adhibebat quaedam florilegia sententiarum. Ad stupendam S. Thomae eruditionem probandam minime necesse est probare eum in ipsis originalibus et a capite ad calcem legisse omnes auctores et opera quae in textu adducit. Facile autem probari posse videtur hac re eum antecelluisse longissime eruditissimo cuique coaetaneo scriptori, tam cognitione quam usu apto auctoritatum in loco debito. Haec enim est omnium communis conclusio, qui iam de hac re speciales investigationes peregerunt. Non nostrum hic est texere historiam harum inquisitionum particularium; officium nostrum credimus absolutum esse compositione indicum quibus vere studiosis ulteriores investigationes faciliores reddere conati sumus. Ex ipsis indicibus et praecipue ex apte deducto studio comparato indicum rerum et auctoritatum certe multa eaque utilissima adhuc detegi possunt de fontibus S. Thomae pro diversis campis doctrinae philosophicae et theologicae, de applicatione principiorum philosophiae et theologiae ad singulas partes doctrinae, de progressu doctrinae a Summa contra Gentiles ad Summam Theologiae etc. Nobis ipsis confectio indicum proxima occasio erat vicinius investigandi per studia comparata compositionem utriusque Summae de qua quaedam hucusque nondum observata infra illustravimus, p. 285-293.

Sponte his investigationibus accedent multa pulchra et aedificativa circa indolem S. Thomae si inquirentes mentis attentionem dirigere velint etiam ad modum citandi S. Thomae proprium. Rursus non est nostrum hic talia per singula enumerare (cf. Iac. M. Vosté l. c. p. 430 sq.). Unum tantum efferre hic liceat cum Caietano: *Hic, sicut in mille locis, nota Auctorem nihil sibi arrogare de Sanctorum doctrina, sed singula, cum potuisset complecti proprio nomine, maluit singulis Doctoribus tribuere; ut utrumque doceret, et miracula Christi et humilitatem* (III^a 44 3 com.).

Ad modum citandi etiam pertinet utrum auctor citans auctoritates adducat ex suae memoriae thesauro, an eas exscribat ex libro auctoris citati vel ex aliqua collectione vel florilegio sibi praesente. Quomodo nos stupendas S. Thomae memoriae dotes indirecte probare conati simus ex ipsis erroribus levioribus in citationibus hinc inde occurrentibus, hoc quaere infra p. XX b, XXI a.

Similes indagationes ac pro fontibus S. Thomae etiam fieri utiliter possunt pro commentatoribus Caietano et Ferrariensi. Ex spontanea quadam observatione numeri et qualitatis auctoritatum quas illi auctoritatibus a S. Thoma adductis superaddiderunt, nobis videtur apud utrumque cognitio et usus theologiae ut aiunt positivae maior fuisse quam pro communi omnium opinione, maior autem apud Caietanum quam apud Ferrariensem.

§ V. - *De assidua correctione indicum.*

Certo nihil est quod indicibus utentes tam aegre ferre soleant eisque animi irritationem movere valeat quam quod locis indicatis nihil vel vix aliquid invenitur eorum quae index annuntiaverat, propter defectum sive compositionis sive correctionis praesertim in numeris. Idcirco quantum licuit humanae fragilitati adhuc augere nisi sumus solitam accurationem per iterata operis incepti et progredientis examina, non mediocri sane temporis impendio.

Ultimum periculum indicum auctoritatum hoc modo fecimus quod omnes citationes, quarum numerus facile ad centum milia ascendit, aliam post aliam requisivimus in textu et notis editionis leoninae, singulas deinde auctoritates indici respondentes clare signavimus in libro per lineam delentem et in elencho separato descripsimus citationes ex hoc periculo non confirmatas. Postea singulas paginas exemplaris adhibiti examinantes confecimus elenchum auctoritatum, si quae essent, nondum deletarum. Ex non-deletione in libro sponte concludebatur vel ad simplicem omissionem huius citationis in indice auctoritatum, vel ad eius erroneam mentionem. Etiam erroris correctio tunc generatim sponte sese offerebat. Detur e. gr. invenienda citatio *Galat.* IV 9 in I^a II^{ae} 94 3 arg. 5, quae non inventa in hoc loco I^{ae} II^{ae} inscribitur in priori elencho. Si in altero elencho notatam habeas ut nondum deletam in exemplari leonino citationem *Galat.* IV 9 in II^a II^{ae} 94 3 arg. 5, illico patet causa et sedes erroris, erronea nempe scriptio I^a II^{ae} pro II^a II^{ae}.

Hac via imprimis detegere sensimque corrigere potuimus fere omnes erroneas citationes (duabus vel tribus tantum exceptis et non amplius inventis igiturque omissis) quae in tabulis nostris irrepserant decursu laboris variis ex causis. Quarum quidem aliae nunquam huic laborum generi abesse solent, alia nobis propria nec certe minima fuit frequens collaboratorum mutatio in longo annorum spatio quo hic tomus praeparabatur. Quo enim factum est ut maior pars tabularum confecta sit ex schedulis ab alio socio ex textu excerptis scriptura veloci et compendiosa facilem dante occasionem erroris novo socio cui incumbebat officium continuandi laborem semiperfectum. Idem accidit elenchorum impressioni qui plerumque confecti velociter currente calamo, semper referti farragine immensa numerorum, continuam male legendi ansam praebebant novo collaboratori.

Eadem via non-deletionis etiam non paucas simplices omissiones deteximus. Quia tamen additionum pars maior non in tempore utili advenit ante indicum impressionem, harum mentio facta est in fine praefationis inter *Addenda*. Praecipua omissionis ratio erat quod aliquae citationes facillimam omissionis occasionem secum ferebant ex eo quod istae nec in margine per aliquam notulam nec in ipso textu per aliquem numerum arabicum aut latinum sese clare et sponte offerebant citatio-

(1) « Sub hoc respectu primum summumque meritum habent anonymi et solertissimi editores operum S. Thomae, qui nullum allegatum textum, nullam insinuatam opinionem praetereunt, quin summa cura summaque patientia volumina patrologiae aliosque textus antiquos classicos et philosophicos sive latinos sive graecos, pervolvant, legant ad reperiendam sententiam allegatam, cuius fontes toties quoties in margine indicantur, fusius discutiuntur in introductione ». Iac. M. Vosté O. P., *De investigandis fontibus patristicis Sancti Thomae*, Angelicum XIV (1937) 422.

num collectori. Ita est, e. g. quando nominantur transeundo sine ulla ulteriore determinatione haeretici, sectae, scholae, etc., aut quando citatio fit per numeros plenis verbis scriptos, ut *in articulo, quaestione secunda, tertia,* vel per formulas, ut *in praecedenti, sequenti articulo, quaestione.* Talia frequentissima sunt in commentariis Caietani. Attamen speramus ea quae in nostro priore et velociore columnarum examine pro conficiendo indice auctoritatum spontaneo et excusabili errore omissa erant, nedum omnia, saltem pro parte valde maiore detecta esse in posteriore librorum examine, nempe in diligentiore ipsius textus verbali perlectione tempore confectionis indicis rerum. Iterata haec lectio revera indices auctoritatum iam typis impressos ditavit, ceu fortunato spicilegio post messem, copia haud exigua addendorum, cf. pag. XXIII-XXV.

Alia errandi occasio erat mala appositio vel coniunctio signorum » » quae numero plurium milium scribenda et rite coniungenda erant in compositione tabularum auctoritatum quae frequentissime citari solent, uti sunt ipse S. Thomas in sectione secunda prioris partis huius tomi, et Aristoteles, Augustinus etc. Si quandoque signa » non rite perpendiculariter scribantur vel omittantur, facile error eveniet ut in loco citationis revera inveniatur quidem auctor citatus, sed cum levissimo errore in numero capituli aut articuli. Ex perturbatione ordinis in numeris saepe hunc errorem sponte videre et corrigere potuimus, non autem semper tempore utili, in Corrigendis, cf. p. XXIV-XXV sub *Aristoteles* lineas 6, 7, 9, 10, 14, 15, 24, 28.

Tertia erroris occasio frequentissima erat durante compositione typographica indicum auctoritatum. Bene et perite inspicientes columnas istas non latebit magna et pulchra regularitas qua in singulis columnis in accurata linea recta perpendiculari terminantur dictiones I^a, $I^a II^{ae}$, $II^a II^{ae}$, III^a, Suppl., Gent. Hoc obtineri non potuit nisi typographice componendo singulas lineas ex binis semilineolis separatim in machina linotypica componendis. Si per praesentiam plurium locorum citationis ad unum eundemque locum citatum uni semilineolae sinistrae respondeant plures semilineae dexterae, vel si error typographicus in una tantum semilineola corrigendus occurrat, ex non debita collocatione vel coniunctione semilinearum errores facile evenire possunt, maxime si lineola correcta tantummodo constet ex signis » ». In tali casu sufficit bene iungere semilineas, et omnia bene se habent. Similes errores sexenties correximus, non quin una alterave occasione error non detectus sit nisi post impressionem definitivam; cf. p. XXIII b 24, XXIV b 39, 52, 58; XXV b 2sq., 18.

Omnia corrigenda et addenda descripsimus et composuimus in utraque tomi parte, p. XXIII-XXV et 646, non consueto modo indicando errorem secundum solum ordinem numericum paginarum et linearum, sed cum nominibus adductis secundum ordinem librorum, auctorum et rerum, ita ut qui addenda et corrigenda percurrit, statim doceatur utrum adsint necne addenda vel corrigenda in auctoribus et rebus ab eo quaesitis.

II.

De indicibus auctoritatum.

Compositionem omnium praedictorum indicum auctoritatum et indicum rerum opus esse extensione vastissimum, duratione longissimum neminem profecto latebit. Sunt autem forte qui putent compositionem prioris partis, quae 15 complectitur supradictos indices auctoritatum, prae ceteris quidem fuisse ingratam, sed ceteroquin faciliori negotio, mechanico fere excerpendi labore, eam confici potuisse absque difficultatibus et dubiis intrinsecis. Reapse rem non ita se habuisse, improbo diuturnoque labore experti sumus. Horum indicum regulas nunc paululum explicare et exemplis ornare intendimus.

Auctoritates citatae distingui possunt ex parte *auctoris citati,* ex parte *auctoris citantis,* et ex parte *modi citandi,* de his tribus citationum divisionibus nunc ex ordine agemus; ultimo sermo erit de auctoritatibus ex parte *veritatis,* nempe specialiter de auctoritatibus erronee factis seu de citationibus falsis occurrentibus in textu S. Thomae commentatorum.

§ 1. - *Divisio auctoritatum ex parte auctoris citati.*

Cum auctoritates citatae ex Sacra Scriptura et ex ipso S. Thoma in nostra editione et numero et dignitate praeponderent, specialis locus illis debetur. Ex parte igitur *auctoris citati* haec indicum divisio per tres sectiones sponte sese imponebat: primo auctoritates citatae ex Sacra Scriptura, deinde auctoritates citatae ex S. Thoma, demum auctoritates citatae ex quibuscumque aliis auctoribus, operibus et fontibus.

Prae ceteris specialiore attentione et laboriosiore compositione dignas esse censuimus auctoritates Sacrae Scripturae. Propterea in solo harum elencho, et in eo apud eas tantum quae ab ipso S. Thoma citantur, accurata distinctione lectoribus notum fecimus quae auctoritates ab eo citatae sint ad litteram et quae ad sensum, quae directe et quae indirecte. Primae innotescunt ex hoc quod textus citati ad litteram etiam ad litteram plene assumpti sunt; textus citati ad sensum notati sunt asterisco * ; textus indirecte citatos per uncinos curvos distinximus. De his magis per singula agetur infra p. XIX a-XX b.

Textus citatos ad litteram ex S. Scriptura a S. Thoma etiam a nobis ad litteram adduci, rite intelligatur oportet. Nos eos semper adducimus secundum litteram Vulgatae editionis ob rationes infra positas p. XX a. Ex hac igitur parte index noster remanet *index,* non fit florilegium, cf. supra p. VIII; ipsum locum indicatum adire debet qui accurate cognoscere velit verba citata a S. Thoma.

Sunt qui nobis expresserint desiderium ut assumerentur in indices etiam plenis litteris omnes auctoritates aliorum auctorum quae ad litteram a S. Thoma citatae sunt. Omnino hoc fieri non potuit: iam insignis huius tomi moles facile duplicata inde evasisset, quod statim intelligit quisquis ex longissimis tabulis p. 177-227 immensum eorum numerum deduxerit.

De modo ordinandi in singulis sectionibus propriam materiam dubium vix erat. In prima sectione p. 3-84 auctoritates disponuntur secundum libros, capitula et versus Vulgatae editionis. In secunda p. 85-176 opera S. Thomae ordinantur modo quem fini nostro aptiorem iudicavimus. In tertia sectione p. 177-274 alphabetice in uno elencho continuo disposuimus omnes auctores et tres fontes generales *Concilia, Glossas* et *Ius canonicum et civile,* quibus autem in principio anteposuimus duas series citationum variegatarum sub titulis *Anonyma, historica, liturgica* et *Haeretici, sectae, scholae.*

Aliquae tamen citationes specialiorem requirunt colligentis attentionem et dubium ei ingerere possunt de loco ubi reponendae sint in indicibus. Ita saepe citatur ex aliquo auctore sententia desumpta ex eius commentario in S. Scripturam, e. g. ex Ambrosio *super Lucam.* Tunc locus indicatus (sive in textu sive in margine) ex S. Scriptura, e. g. super Lucam I 26, 27, non assumendus est in indicem S. Scripturae, sed tantum notatur loco suo textus S. Ambrosii ad quem accuratius indicandum mere accidentaliter subintravit indicatio loci S. Scripturae. Tamen citationum collectori, si aspectu veloci margines percurrat non curans de ipso contextu inspiciendo, facile evenire potest ut huiusmodi citationes inadvertenter bis assumat, semel debite sub Ambrosio, altera vice superflue et indebite sub Luca in indice S. Scripturae.

Quis a communi hac humana fragilitate solos collaboratores suos omnes immunes declarare auderet? Revera apud nos schedularum revisio numerum haud ita parvum huiusmodi errorum eliminare permisit, non autem adeo perfecte quin timendum sit, immo fatendum, prae opprimente laborum mole vestigia quaedam remansisse. — Sic e. g. I^a 79 13 arg. 1 citatur a S. Thoma Origenes; sententia citata invenitur in eius commentario super Rom. II 15 et debite qua talis assumpta est in indicem infra p. 223 c ut citatio facta a S. Thoma ex Origene; alibi etiam huius citationis mentio facta est, scil. superius p. 82 b ut citationis ex S. Scriptura factae ab editoribus, indebite tamen quia illud Rom. II 15 in margine non est nova auctoritas addita ab editoribus, sed mere complementum citationis Origenis iam factae a S. Thoma. — Item, in $II^a II^{ae}$ 116 1 I a Caietano citatur Ambrosius, ab editoribus Glossa, ad utriusque loci ulteriorem determinationem additur Rom. I 29. Infra igitur haec citatio debite adest sub Glossa p. 261 a, indebite deest sub Ambrosio p. 228 b, indebite adest sub S. Scriptura p. 73 d et 82 b.

Alia frequens errandi occasio est quod ad indicandam citationem alicuius auctoris notulae marginales interdum remittunt lectorem per cf. ad alium locum, plerumque vicinum, ubi eadem citatio iam occurrit. Sic in I^a 74 1 ad 1 in margine ab editoribus additum est: cf. I^a 70 1. Materialiter igitur citatur locus prior ex ipso S. Thoma. Evidenter autem hic editorum mens erat determinare illud *secundum Augustinum* (3 lineis superius) iuxta eamdem citationem ex Augustino iam factam I^a 70 1 (sc. *De Genesi ad litt.* II c. 11). Ideo et hunc locum I^a 74 1 ad 1 adiunximus p. 197 b locis ex Augustino citatis a S. Thoma, eumque

omisimus in elencho auctoritatum S. Thomae citatarum ab editoribus p. 127 b (hic invenies quidem citatum *tit.* et *co.* huius articuli sed non *ad 1*). — Item. Gent. II 81 (p. 506 b) et IV 55 additur in margine: Gent. II 68, evidenter propter textum ibi citatum ex libro *De causis*; ideo hi duo loci additi sunt etiam citationibus ex libro *De causis* adductis ab editoribus, cf. p. 249 a. — Similes casus pluries obtinent, specialiter quando notula aliquantulum longior pro exiguo marginis spatio eadem repetenda occurrebat, e. g. saepius Averroes in Gent. II et III; tunc brevitatis causa studiosus remittitur ad locum superiorem, quo facto ex aspectu materiali notula videtur esse citatio ex S. Thoma facta ab editore, reapse habetur citatio alterius auctoris, iam determinata uberius in illo superiori loco. — Fieri non poterat quin prompta haec errandi occasio quandoque nosmetipsos in errorem duceret. Sic in Suppl. 15 3 sed c. 1 nota marginalis 2 3 arg. 1 prius nobis visa est esse tantum remissio ad priorem locum ex S. Thoma; reapse ibi intentam esse citationem ex Hippocrate nobis postea, serius tamen, constitit; vide erroris correctionem infra p. XXV a.

Haec omnia non considerans qui indicem componit, quoties iniuste S. Thomae abnegat citationes ei attribuendas, toties editorum elenchos auget, non sine veritatis et iustitiae detrimento. Minime igitur sufficit ut quis (forte doctrinae traditae parum peritus) marginum notulas veloci oculorum cursu peragret easque materialiter schedulis suis inscribat et alphabetice ordinet. Saepe enim accurata animi attentione et scite ipse textus interrogandus est. Hoc est quod adhuc pluries et uberius nos docebunt sequentia.

§ II. - *Divisio auctoritatum ex parte auctoris citantis.*

Maiorem dubitandi occasionem et regulandi necessitatem dedit secunda indicum divisio tripartita ex parte *auctoris citantis* secundum quod auctoritates citantur vel a S. Thoma vel a commentatoribus Caietano et Ferrariensi vel ab editoribus leoninis.

Imprimis, circa auctoritates citatas a S. Thoma et commentatoribus, illico notandum utrumque commentatorem (Caietanum praesertim in I[a] parte, Ferrariensem per totum commentarium et semper et pressius) explicando argumenta S. Thomae etiam compendio repetere versus S. Scripturae et textus ex aliis auctoribus a S. Thoma adductos. Hos omnes consulto omisimus in indice auctoritatum citatarum a commentatoribus hac praecipue ducti ratione ne defraudaretur conspectus (a nobis primarie intentus) de auctoritatibus reapse a commentatoribus noviter et propria eruditione et industria additis. Ex harum numero permagno quisquis videre poterit quanta ubertate et habilitate isti commentatores usi sint Sacra Scriptura, iure canonico et generatim omnibus fontibus quos positivos nunc vocant, quanta igitur iniustitia ipsi quandoque leviter accusentur neglectae traditionis et indebitae exclusivaeque introductionis speculationis philosophicae in doctrina sacra.

Insuper non assumpsimus ex commentatoribus illas citationes perplures ubi sive per auctorem sive per editorem remissio fit ad ipsum textum S. Thomae suprapositum vel ad locum inferiorem aut superiorem in hac ipsa expositione huius textus.

Hoc etiam valet si apud Caietanum quandoque sub uno articulo unite exponantur plures articuli; e. g. II[a] II[ae] 43 commentarium in art. 1-4 stat sub 1 et ibi citantur art. 2, 3, 3 ad 2. Item ib. qu. 49 sub art. 8 unitur expositio in 7-8, in 8 citatur 7. Item ib. qu. 57 sub art. 4 unitur comm. in 3-4, citatur 3 in 4. Eadem ibidem habentur in qu. 89, 97, 117, 118 etc. In omnibus similibus casibus non assumuntur in indice citationes internae unius unitae expositionis. Accidit tamen ut in eodem articulo idem versus S. Scripturae vel idem adagium philosophicum citetur a commentatore et a S. Thoma, sed non eodem prorsus loco nec eodem fine. In hoc casu hanc auctoritatem admisimus in utroque indice.

Per harum citationum eliminationem et adhuc magis per supradictam eiectionem auctoritatum iam a S. Thoma citatarum inutilem indicum extensionem praevenimus. Consequenter autem ille qui forte utitur separata editione Caietani vel Ferrariensis sine textu S. Thomae addito (tales paucissimae tantum extant) iam intelligerit indices nostros in Commentatores necessarie ad suam editionem separatam incompletos esse.

Deinde, circa distinctionem necessarie faciendam, iuxta supradicta, inter auctoritates citatas a S. Thoma et commentatoribus et auctoritates superadditas ab editoribus leoninis, hic frequenter dubia oriuntur ex eo quod notulae ad utrumque genus auctoritatum pertinentes permixtae inveniuntur in marginibus editionis nostrae. Quod inde evenire solet quia saepe S. Thomas vel Commentatores aliorum sententias adducunt vel facta ex historia sacra et profana narrant cum indicatione incompleta vel nimis generica fontium, vel tacito auctore, vel citatione omnino implicita. Editores pro more editionum criticarum modernarum solent in margine auctoritates imperfectas complere, vel ulteriores addere, vel fontes remotiores et editiones indicare, et similia. Facile igitur dubia oriri possunt cui auctoritas citata in margine attribuenda sit, utrum auctori an editoribus leoninis. Ad ea elucidanda et ut regulas explicemus nobismet ipsis impositas, opportunius determinatio fiat in sequentibus ubi agemus fusius de tertia distinctione auctoritatum, de distinctione scilicet *ex parte modi* quo auctor citatur.

§ III. - *Divisio auctoritatum ex parte modi citandi.*

Ex parte *modi citandi* plures faciendae et elucidandae sunt distinctiones. Auctoritates enim citatae ex triplici capite dividi possunt: primo in citationes explicitas vel implicitas, secundo in citationes directas vel indirectas, tertio in citationes allatas ad litteram vel ad sensum.

A. - *De citationibus explicitis et implicitis.*

Prima distinctio facienda est inter citationes explicitas et implicitas. Omnis auctor quantumvis ingenio polleat et studiis incumbat, partem maiorem suae scientiae non omnino noviter a se invenit aut componit sed eam alienis debet fontibus, sive libris sive magistris. Hoc simpliciter necessarium est in cognitione quorumcumque factorum a se non visorum, in quibuscumque alterius opinionibus afferendis sive approbando sive improbando. Haec tamen cognitionis origo ex alienis fontibus non sufficit ad hoc ut auctor vel orator dici possit citare alium auctorem. Iure enim aliquis aliquomodo sua fecisse reputatur et ei adscribi possunt etiam omnia illa quae ab aliis addiscendo in proprii intellectus thesauro accumulavit et quae scribendo aut dicendo reproducit sine ulla intentione adducendi aliorum testimonium. Ideo si quandoque auctore nihil monente quaedam inveniantur in scripto suo quae tanta similitudine singularium conveniant iam aliunde et prius publice prolatis ut sponte suspicio oriatur de transsumptione facta, auctor non dicitur citasse alium auctorem praecedentem sed ex hodiernis bonis moribus in litteris potius ei vitio dabitur neglectio citationis. Sola citandi intentio aliquo modo visibiliter expressa constituere videtur illud genus dicendi quod « citare » communiter dicitur. Haec citandi intentio quomodocumque manifestata (sive per aliquam formulam citandi quae citatum auctorem vel sententiam introducit aut claudit, sive per signa quaedam usu recepta in scriptione et in impressione, sive in oratione per solam iam vocis modulationem etc.) adeo omnino necessaria videtur ad hoc ut veri nominis citatio habeatur, ut illa deficiente nullam reapse *ab ipso auctore* citationem factam esse fatendum sit. Quamvis igitur omnis citatio, ut res nomini concordet et ut sit reapse actus citantis qui iure auctori ipsi attribui possit, explicitam habere debeat citandi formulam aut saltem intentionem aliquo modo expressam, usu tamen receptum est ut, sumpto magis generice verbo citationis, distinguatur inter citationes explicitas et implicitas.

Citationem dicimus explicitam, ut ex supradictis evadit, quando quocumque modo exprimitur auctoris intentio et actus citandi. Ad hoc non refert utrum citandi actus manifestetur per expressam formulam introductoriam an iam pateat sine ea ex solo dictionis modo, nec refert utrum nomen auctoris et locus sententiae plene indicentur an valde incomplete, nec utrum citatio sit directa an indirecta, ad litteram an ad sensum, vera an falsa, de quibus distinctionibus inferius adhuc agetur. Magni vero interest indicum compositoris, qui singulas citationes rite legitimo suo citatori adscribere cupit, attentum se praebere quid praecise explicite citetur, utrum sententia et auctor eius (cum vel sine ulterioribus indicationibus libri, loci etc.), an sententia sola auctore vel tacito omnino vel indicato tantum indeterminate per *quidam, alius, sunt qui putent* etc.

De adscribendo S. Thomae et commentatoribus citationes ubi ipse auctor explicite nominatur dubium esse non potest. Quantumcumque imperfecte, immo quandoque false, auctor

citatus indicetur, omnia quae editores in margine ulterius adiiciunt (librum, locum, editionem etc.) mere sunt complementa technica citationis ab auctore factae, nullum proinde locum habebunt in indice notularum editoribus adscribendarum, quamvis non raro horum inventio et determinatio exacta magnum temporis impendium et haud communem eruditionem ab editoribus postulaverint.

Similiter non haesitavimus attribuere solis S. Thomae et commentatoribus illas citationes quae tacitis quidem omnino libro et auctore adducuntur, sed tamen sponte recognoscuntur qua tales ex dicendi modo, ut praecipue saepe accidit sententiis Sacrae Scripturae. Oportet tamen ut citetur aliqua sententia determinata et ut aliquo modo explicite exprimatur actus citandi, secus haberetur citatio aut nimis generica et indeterminata aut mere implicita quarum inventio et determinatio potius soli editori debetur eique igitur adscribatur ut infra dicetur. Ut autem citatio sponte recognoscatur et tanquam explicite facta consideretur, iam sufficiunt, praesertim pro citationibus ex S. Scriptura, formulae *secundum illud, unde scriptum est, dicitur, ponitur enim,* immo etiam sola aliqua coniunctio causalis ut *quia, cum* introducens textum S. Scripturae vel adagium valde cognitum. En quaedam exempla; inter uncinos ponimus locos ab editore leonino additos.

I^{a} 70 1 sed c. *in contrarium sufficit auctoritas S. Scripturae* (Gen. I 14 sq.). — $I^{a}II^{ae}$ 103 3 arg. 2 *in Evangelio praecipitur leproso emundato ut....* (Matth. VIII 4). — $II^{a}II^{ae}$ 104 5 com. II.... *subduntur divinae legi quae vetat concupiscere uxorem et rem proximi.* (Exod. XX 17). — III^{a} 47 6 arg. 1 *Dominus excusavit peccatum crucifigentium eum dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt* (Luc. XXIII 34). — III^{a} 27 5 ad 1 *quia Christus... ad hoc fuit praedestinatus.... ut esset praedestinatus Filius Dei in virtute sanctificationis* (Rom. I 4). — III^{a} 37 3 co. *Christus voluit sub lege fieri ut eos qui sub lege erant redimere:* (Gal. IV 4, 5) et *ut iustificatio legis... impleretur* (Rom. VIII 4). — $II^{a}II^{ae}$ 25 8 arg. 3 maior argumenti intentionaliter exprimitur in verbis S. Scripturae: *Caritas non agit perperam. Sed... Ergo...* (I Cor. XIII 4). — Ter Rom. I 20 sine ulla citandi formula introducitur causaliter, bis cum solo *quia* $I^{a}II^{ae}$ 111 4 co. et Gent. III 154, semel cum *cum scilicet* $II^{a}II^{ae}$ 34 1 co. *cum scilicet invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* — III^{a} 16 6 com. II *Nihil est mirabilius quam Verbum caro factum est, post Trinitatis arcanum* (Ioan. I 14). — III^{a} 16 1 com. V *sicut cum dicitur Deus caritas est* (I Ioan. IV 8). — Suppl. 69 7 sed c. 2 *sicut de Henoch et de Elia dicitur* (Eccli. XLIV 16; XLVIII 9).

E contra habenda tamquam certe nimis generice et indeterminate dicta et ideo non amplius auctori, sed editoribus attribuenda nobis videbantur sequentia, et his similia:

III^{a} 60 5 arg. 1 *sicut in S. Scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem aut aliquid huiusmodi*, octo locos hic in margine adductos in indicem editorum remisimus; item Gent. III 53 *tam Deus quam angeli in S. Scriptura in figuris igneis describuntur* (Ex. XXIV 17; Act. II 3; Ps. 103 4); item in casu simili $II^{a}II^{ae}$ 23 1 com. I omnes undecim locos in margine positos editoribus attribuimus. — III^{a} 16 1 co. *sicut et omnes sancti viri dicuntur dii* (Ps. 81 6; Ioan. X 34, 35). — Suppl. 91 3 ad 6 *qui etiam modus loquendi consuetus est in S. Scriptura,* citantur in margine quatuor loci ex prophetis. — Suppl. 96 3 ad 3 *unde et ipsae segetes labores dicuntur* (Ps. 127 2; Ioan. IV 38). — III^{a} 46 9 com. IV loquitur de spectantibus ad praeparationem ciborum *quae tamen erant prohibita in Sabbato* (Exod. XVI 23; XXXV 3). — $II^{a}II^{ae}$ 95 8 com. XI *ut patet de decem viris qui....* (Ierem. XLI 8). — I^{a} 50 4 com. III *scito quod cum apud ipsum* (S. Thomam) *omnis differentia...* margo remittit ad tria opera S. Thomae. — I^{a} 76 2 com. XII *ut patet exercitatis in doctrina sua,* duo loci ex S. Thoma afferuntur in margine. — Gent. II 74 com. VII *secundum doctrinam S. Thomae,* item duo loci in margine.

Attamen etiam in multis locis adhuc remanere potest dubium cui attribuenda sit citatio. Quandoque enim dubium est utrum agatur de citatione facta tacito auctore quae nihilominus, quia illico subintellecta qua talis, tanquam explicita et sat determinata habenda est proindeque auctori attribuenda, an potius habeatur determinatio ab editore facta aut alicuius citationis dictae implicitae vel indeterminatae aut fontis facti historici, in quo casu hae determinationes iuxta nostram opinionem infra fusius explicandam potius editori adscribendae sunt.

Plerumque in dubiis nos auctori favere decrevimus; quandoque contextus vicinus ubi eadem sententia clarius ab ipso auctore explicite citata apparuit, nos cogit (1); quandoque iam merum commodum lectoris cupientis unitas habere sententias pluries citatas nobis dubium solvit, quandoque reapse ancipites haesitavimus et primum locum in margine adductum auctori attribuentes ceteros consideravimus magis ut locos conferendos quos igitur in editorum indice deposuimus.

Maior forte dubitandi ratio adest quid agendum sit si sententia a S. Thoma et commentatoribus citatur explicite quidem, sed adscribitur auctori indeterminate tantum indicato per formulam *alii, quidam, sunt qui opinentur* etc. Talia saepe ab editoribus illustrantur cum remissione ad determinatos auctores et libros, quos forte eosdem etiam auctor in mente habuerat sed ob unam aliamve rationem indicare noluit, e. g. quia auctores contemporales nominatim introducere tunc mos non erat. Cum insuper determinatio talium auctorum innominatorum necessarie sequatur subiectivam, mutabilem, fallibilem opinionem et eruditionem editoris, ita ut probabilis certitudinis limites nunquam excedat, omnes huiusmodi auctoritates non S. Thomae et commentatoribus attribuere ausi sumus, sed eis propriorem locum in indice editorum assignavimus, e. gr. Abaelardus, Guitmundus et Mag. Sent. III^{a} 80 3 ad 3; Albertus Magnus III^{a} 90 3 co., Algazel et Avicenna I^{a} 14 11 co.; 15 2 co., Alexander Aphrodisius et Averroes I^{a} 119 1 co., Alexander Halensis III^{a} 64 8 ad 2 etc.

Maxima autem dubitandi ratio adesse videtur, si aliqua sententia introducatur modo dicto valde indeterminato, omnino tacito nomine auctoris vel libri, et tamen ex inquisitione critica editoribus constet verba adducta non esse relationem ad sensum opinionis alicuius auctoris, sed revera transsumptionem quandoque sat longam factam ad litteram ex auctore determinato. In dubio cui attribuenda citatio huius auctoris nobis videtur praevalere debere intentio auctoris citantis mere opinionem adducit, tacet ex proposito auctorem; ergo iuxta supradicta citatio exacta veri auctoris verborum editoribus attribuatur. Tales casus non observavimus apud S. Thomam hucusque (ne quidem in frequentissimis casibus citationis suiipsius per formulas *supra, infra*; cf. etiam dicta in nota ad XIII p. XXIII *a*); haud raro autem obtinent in scriptoribus posterioribus, e. g. apud Scotum, cf. recentissimam eius editionem Romanam.

Tanquam satis determinatae et in indicem S. Thomae et Commentatorum ponendae a nobis considerantur sententiae quae attribuuntur anonymis, haereticis vel sectae, scholae, e. g. Manichaeis, Arianis, Stoicis etc. (quos unitos exhibemus in elenchis p. 177 et 227, cf. addenda p. XXIV-XXV), item illae quae afferuntur nomine alicuius notae collectionis auctoritatum uti sunt Ius canonicum et civile, Glossae in S. Scripturam et in Ius canonicum.

Etiamsi ad multas sententias, quae a S. Thoma solo Glossae nomine citantur, in margine ab editoribus auctor et locus determinatus huius glossae citatae addantur, e. g. Augustinus ad I^{a} 16 6 co., Gregorius I^{a} 12 11 sed c., non tamen amplius ille locus, in casu Augustini et Gregorii, adhuc assumitur in indicem sub nominibus Augustini et Gregorii, nec in indicem S. Thomae ut patet quia iste non eos citavit, nec etiam in indicem editorum quia notula marginalis non cognoscere fecit

(1) Inde e. g. non amplius in indicibus editorum distincte annotavimus auctoritates a nobis textui commentatoris appositas, si eadem auctoritas ab ipso commentatore etiam adducitur in loco vicino, idest intra terminos eiusdem numeri romani nostrae subdivisionis. Tunc enim notula editoris non intendit aliud nisi opportuno loco apud studiosum recolere auctoritatem paulo supra aut infra a commentatore citatam. Hoc sat frequenter occurrit apud Ferrariensem pro locis citatis ex aliis operibus S. Thomae quos ipse libenter suo commentario inserere solet.

Sic infra p. 116 b notavimus III^{a} 2 6 ad 2 ut citatum bis in Gent. IV 35 IX, quamvis ex rigore prima vice ibi citatio facta sit ab editore et altera vice a Ferrariensi, et nil notavimus p. 136 a ubi notati sunt loci ex III^{a} citati ab editoribus. — Item De Verit. II 12 ad 7 infra p. 119 a dicitur citatum in Gent. I 67 X 1, 2 a commentatore, nil notatur p. 137 quamvis in X 1 citatio ex rigore dicenda sit facta ab editore et illa in X 2 a commentatore. — Item $I^{a}II^{ae}$ 9 1 et De Veritate XXII 12 dicuntur p. 112 a et 119 c citata esse in Gent. I 44 IV, V 2, VI a commentatore, nulla mentione de utroque loco facto p. 128 b et 139 c, quamvis in IV et VI citatio facta sit a commentatore et in V 2 ab editore. Similiter se habet citatio De Potentia IX 7 in Gent. I 21 V 3 notata infra p. 120 b, et de citatione De Potentia V 5 in Gent. I 20 XIII 1, 2 notata infra p. 120 b; etc.

Idem valere volumus de citationibus nonnullis factis ab editoribus in margine textus S. Thomae si eadem auctoritas ab ipso Auctore etiam citata est in loco vicino. Praesertim si citata auctoritas est auctoris aut sententiae parum notae, notula editoris nil novi addere vult, sed mere iam habitam auctoritatem in mentem revocare. Indebite igitur elenchus citationum ab editoribus profectarum hoc modo ditaretur, si etiam talia distincte ipsis attribuerentur.

novam auctoritatem, sed tantummodo pressius determinavit citationem glossae a S. Thoma citatae; immo ne quidem hoc fecimus cum ipse S. Thomas nominatim auctorem glossae introducat, e. g. *nec glossa Bedae dicit Gen. I* Iª 96 1 ad 2; *super illud Numeri XVIII.... dicit glossa Origenis* Iª 113 7 arg. 4.

Casus contrarius evenire videtur in citationibus iuris canonici. Saepissime ius canonicum citatur explicite et sat determinate nulla mentione facta de determinato Papa aut Concilio aut Sancto qui est auctor huius individui canonis aut capituli nunc citati. Quamvis, ut quisquis non imperitus iam diu scit, collectio iuris canonici tanquam collectio nullam specialem auctoritatem et vim obligandi authenticam habeat ultra auctoritatem individualem singularum partium eius, quam singulae habent a suo quaeque auctore, non tamen desunt loci ubi S. Doctor citet auctorem nominatim et quasi ad roborandam sententiam suam, aut potius citationem suam, expressiori modo distincte affirmet eam assumptam esse in notissima collectione iuris canonici, ac si separatim expressos voluerit, ut iuridice loquar, fontem essendi et fontem cognoscendi auctoritatis citatae, quam proinde et nos in indicem bis assumpsimus, et sub nomine proprii auctoris et sub Iure canonico. En exempla:

Sicut habetur in Decretis dist. L, in Hilerdensi concilio legitur.... IIIª 89 3 arg. 3. — *Sicut in eadem distinctione legitur, Gregorius scribens Secundino dixit...* IIIª 89 3 sed c. — *Sed contra est quod Isidorus dicat in quadam epistola et habetur in Decretis dist. XXV* (cf. Corrigenda p.....) IIIª 82 1 sed. c. — *Dicit enim Gelasius Papa et habetur in Decretis dist LV....* IIIª 82 10 arg. 3. — Alia exempla vides in indice sub nominibus Paparum Alexandri I, II, III; Gregorii II, III, VII; Innocentii I, III, IV; Gelasii, Iulii, Leonis, Melchiadis etc., quorum sententiae adductae sunt fere omnes et nominatim et cum citatione determinata iuris canonici.

Adhuc satis determinatas censemus citationes iuris quae fiunt minus expresse et ubi magis ad sensum quam ad litteram et quasi transeundo per formulas generaliores citatio iuris intervenit. Tales sunt e. g.:

Ecclesia prohibet... Suppl. 45 5 arg. 3, 4; IIª IIae 40 1 arg. 4. — *Legibus humanis prohibitum est.... et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata* Suppl. 57 2 co. — *Secundum statuta ecclesiae...* IIª IIae 63 2 arg. 4; Suppl. 54 3 co. — *Iudicio ecclesiae debet compelli* Suppl. 46 1 arg. 3. — *Ex concessione principis* Suppl. 57 1 ad 3; 3 ad 3. — *A iure concessum* Suppl. 22 1 co. — *Secundum iura* IIª IIae 63 2 arg. 3; 64 7 co.; 100 2 ad 6; Suppl. 45 3 sed c. 1; 4 arg. 1. — *Contra iura* IIª IIae 89 9 arg. 3; Suppl. 47 6 sed c. 2. — *Contra nova iura* Suppl. 58 2 co.; etc.

Generatim in omnibus istis S. Thomas alludit ad aliquem determinatum canonem aut capitulum in margine ab editore indicatum, proinde citatio in indicem S. Thomae assumenda est.

Similiter per *Iurisperitum, Legisconsultum* communiter intenditur remissio ad determinatum locum ex Digestis, e. g. Iª IIae 92 2 arg. 1; 95 2 arg. 4, 3 co.; 96 1 sed c., 6 co.; IIª IIae 58 1 arg. 1; 60 5 ad 2.

E contra quandoque citatio est nimis generica et multi loci ab editoribus indicati sunt, e. g. *ut iuristae dicunt* Suppl. 53 3 arg. 5; 55 11 co.; *secundum Romanos* IIIª 80 8 ad 5; *secundum leges* quod opponitur *secundum canones* Suppl. 68 3 co.; tunc generatim omnes locos additos in editorum indicem remisimus, excepto quandoque solo primo e. g. III 48 4 arg. 2.

Implicite citata esse dicimus ea quae sine ullo signo exteriore aut sine manifestata intentione citandi inveniuntur textui auctoris inserta in sententiis et verbis tam similia iam habitis in alieno opere praeexistente ut inde desumpta esse videantur, directe sive indirecte, quandoque scienter, saepius autem inconscienter, prout facile evenire potest si magna est auctoris familiaritas ad fontem priorem, e. g. illa auctorum et oratorum ecclesiasticorum ad textum Sacrae Scripturae. Haud raro sine ulla formula et intentione citandi isti regulas morum, admonitiones, narrationes sacras exprimunt verbis quae ad sensum et saepius etiam verbotenus eadem leguntur in Sacra Scriptura. Sermones S. Augustini et S. Bernardi e. g. huiusmodi sententiis referti sunt. Similia etiam apud S. Thomam et Commentatores frequenter obtinent. Modo sunt narrationes compendiatae, exempla, sententiae, ipsa verba S. Scripturae; modo textus liturgici, modo sententiae vel regulae iuris canonici et civilis, modo definitiones vel adagia philosophica et theologica. Haec ultima quae generatim remotam originem ducunt ex aliquo auctore determinato non raro temporum decursu et scholae usu circumferuntur expressa in compactiore et praecisiore forma quam qua inveniuntur in textu originali, quod e. g. accidit multis adagiis philosophicis quae in traditione plerumque Aristoteli attribuuntur.

Pro maiore vel minore sua diligentia et eruditione editores nostris diebus citationes implicitas quam plurimum invenire et in margine editionis indicare conantur; nec segniter nec parce in hac re egerunt decessores nostri in duodecim tomis IV-XV utrique Summae deditis. En quaedam exempla:

Ex Sacra Scriptura e. g. implicite citantur *Deut. XXV 2* in Suppl. 23 3 sed c. 2; 86 1 co.; *Luc. I 79* in IIIª 15 3 sed c.; *Luc. II 7* in IIIª 37 3 ad 4; *I Cor. X 4* in Iª 102 1 ad 4; *Gal. V 17* in Iª 95 2 arg. 1; *Phil. II 8* et *Is. LIII 7* in Suppl. 89 2 ad 4. — Textus liturgici habentur IIIª 22 5 arg. 1; 27 5 com. II; 35 6 ad 2; Suppl. 83 3 sed c. 1. — Sententiae vel regulae iuris inveniuntur ex *Decretalibus V* XII *16* in IIª IIae 40 1 com. II; 95 8 com. XII; ex *Libro Sexto V* XII *reg. 13* in IIª IIae 174 6, com. V (*corr.* infra p. 265 c in V); ex *Digestis L* XVII *reg. 106, 176* in IIª IIae 189 6 ad 3; Suppl. 52 3 ad 1; *reg. 126* in IIª IIae 62 5 com. VI; Suppl. 53 1 ad 1. — Definitiones et adagia: ex Aristotele *De anima* in Iª 97 2 arg. 1, co., *Metaphysica* in Iª 21 1 ad 3; *Topicorum* in IIª IIae 188 1 co.; Seneca in Iª 32 1 arg. 2, ad. 2; ex Boetio in Iª 63 2 com. IX, 8 ad 1; 77 1 arg. 6; IIIª 77 1 co.; ex Ambrosio *Expos. in Lucam* in IIIª 37 3 ad 1; ex Augustino *Enarr. in Ps. 138* in Suppl. 17 1 co.; ex Mag. Sent. in Iª 23 2 arg. 4.

Non videtur esse citatio implicita, sed aliquid huic generi dicendi vicinum si auctor sine ullo signo vel explicita formula citandi suae expositioni inserat, plerumque ad sensum tantum, facta ex historia sacra aut profana. Horum fons tunc semper ab editoribus in margine apponi solet. Exempla abundant. En quaedam:

Simulationem Iehu non est necesse excusari a peccato vel mendacio IIª IIae 111 1 ad 2, ubi margo remittit lectorem ad IV Reg. X 29-31. — Ieiunia Iudaeorum narrantur IIª IIae 147 5 ad 2; solus Ieremias nominatim citatur (infra p. 79 b *corr.* XXIX in XXXIX), sed margo adducit multos alios locos ex S. Scriptura et Iosepho. — *Diversi sancti de diversis virtutibus laudantur, sicut Abraham de fide, Moyses de mansuetudine, Iob de patientia* Iª IIae 66 2 arg. 2, quod margo illustrat quinque citationibus ex S. Scriptura. — Item quinque textibus illustratur illud: *In Veteri Testamento Moyses et Ieremias a divina legatione ob proprios defectus se subtrahebant* IIª IIae 129 3 com. V. — *Ut patet de decem viris qui...* IIª IIae 95 8 com. XI, editores remittunt ad Ier. XLI 8. — De imaginibus Dei in formis columbae, agni, senis, angeli cum sex alis loquitur IIIª 25 3 com. IX; solus Dan. VII expresse nominatur a commentatore, octo loci ibi in margine adduntur ab editoribus; cf. et ibidem n. XI alia exempla. — *Tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum* IIIª 83 3 ad 5, ubi in margine remittitur ad locos relativos ex Evangelistis.

His similia sunt diversa alia sicut loci paralleli vel ex Sacra Scriptura qui saepius citationi explicite factae superadduntur illustrationis gratia, vel ex ipso S. Thoma qui in capite articulorum et quandoque etiam in margine adduntur. Huic fini etiam serviunt plurimi loci conferendi et fontes remotiores ex auctoribus supparibus qui ad pleniorem doctrinae illustrationem marginibus inscripti sunt. Sic etiam e. g. generatim citationibus nostri auctoris ex Aristotele adduntur loci relativi ex omonymis commentariis ipsius S. Thomae.

Cum omnia huiusmodi, citationes dico implicitas, locos parallelos et conferendos, fontes doctrinae, nullatenus ab ipso auctore citata sint, sed soli editori debeantur, nobis indices componentibus nullum dubium esse potest de locis eis assignandis. Ex ratione et regula generalius iam proposita supra p. omnia talia, numero aliquando quam pondere insigniora, sedulo distinctis elenchis separanda sunt a citationibus quomodocumque explicite factis ab auctore. Accedit iam dictae rationi etiam haec quod index harum citationum explicite citatarum opus constituit obiective et definitive absolutum, determinatum nempe et clausum ex praehabito textu auctoris edendi. E contra illarum implicitarum ceterarumque notularum collectio necessario magis respondet liberiori editoris beneplacito et variabili eius eruditioni, remanebitque igitur ex eius et scientiae historicae progressu subiecta posterioribus additionibus et correctionibus. Reapse et apud nos in tomis successivis Summae Theologiae IV-XII facile observari potest notularum marginalium continuum augmentum cui partim ipsa materia partim autem et crescens editorum eruditio ansam praebuerunt. (1)

(1) Considerando quantum temporis iacturam editiones desideratissimae ex talium notularum investigatione patiuntur, quanto mutabilis eruditionis pondere apparatus critici onerantur, non inopportune forte quis quaerat annon suaderi debeat aliqua moderatio in huiusmodi additionibus. Editioni quae imprimis intendit obiectivam criticam textus restitutionem iam sufficere videtur accurata recognitio auctoritatum ab ipso auctore citatarum. Quod et alibi iam commendatum legimus. Caveat saltem editor ne imponat posteriori indicum compilatori longissimum ingratumque onus revidendi contextum apud singulas notulas, et inde ab initio laboris ita disponat notulas suas personales ut habeatur earum clara separatio (sive in schedulis sive melius in ipso libro impresso) a citationibus reapse explicite ab ipso auctore factis, has e. g. illustrando et complendo prout fert necessitas in margine laterali, illas relegando in marginem inferiorem vel adhuc remotius in appendicem.

Citationes ad sensum sunt e. g. in I^{a} 1 6 arg. 3: *Sapientia .... inter septem dona Spiritus Sancti connumeratur, ut patet Is.* XI, et inferius ib. 8 co.: *sicut Apostolus I ad Cor.* XV *ex resurrectione Christi argumentatur ad communem resurrectionem probandam,* et ib. 10 co.; *sicut enim dicit Apostolus, ad Hebr.* VII, *lex vetus figura est novae legis,* et ib. ad 2: *Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum, Matth.* XIX.

Distinctionem citationum *ad litteram* et *ad sensum* notam facere statuimus in hoc indicum tomo pro solis textibus S. Scripturae et pro iis tantum citatis ab ipso S. Thoma, igitur in elencho p. 3-69. Hic distinctio innotescit primo ex hoc quod ad solas citationes *ad litteram* factas adduximus etiam ipsa verba versus citati, secundo ex hoc quod citationes *ad sensum* notantur asterisco *. Non raro tamen accidit ut etiam istae habeant verba ipsa apposita, toties nempe quando idem locus alibi in S. Thoma ad litteram citatus occurrit.

Regula haec sane plana est facilisque omnibus videbitur eius applicatio; quae tamen et suas nobis peperit difficultates vel saltem rationes dubitandi. Non inutiliter igitur adhuc paululum immoramur harum illustrationi et solutioni. Quo etiam melius intelliget criticus operis nostri indagator, etiamsi nobiscum dissentire velit, in huius indicum tomi compositione omnia habuisse suam rationem sufficientem fereque nihil arbitrio aut casui relictum esse.

Sententiam ad litteram citatam esse dicimus non illam tantum quae post congruentem explicitam formulam citandi et in oratione recta subdit verba auctoritatis citatae cum absoluta identitate numerica verborum, sed etiam illam quae liberius verba auctoritatis reproducit, quia haec potius narrando in oratione obliqua inducuntur, vel quia plerumque ex memoria citata non perfectam retinuerunt singulorum verborum concordiam ad suum fontem, vel denique quia ex insertione in novo contextu subierunt exterioris formae grammaticae levem adaptationem ad propositiones circumstantes. De hoc liberiore agendo modo cum textibus ex S. Scriptura apud S. Thomam nobis praesto sunt multa variegataque exempla. En varias species:

In citandis his auctoritatibus valde praevalet citatio in oratione recta: si fit mutatio orationis rectae in obliquam, S. Thomas non utitur post verba sentiendi et declarandi constructione classica accusativi cum infinitivo, sed plerumque sola coniunctio *quod* introducit sententiam citatam quae deinde sequitur saepius ad litteram, leviter tantum adaptata contextui, quandoque cum mutatione verbi aut pronominis a prima persona in tertiam, e. g. *ut patet per Apostolum Rom.* VII *qui dicit de seipso quod mente servit* (*ego servio* in S. Script.) *legi Dei, carne autem legi peccati* II^{a} II^{ae} 104 6 ad 1; *De hac autem potestate Apostolus dicit II ad Cor. ult. quod potestatem dedit ei* (*Dominus dedit mihi* in S. Script.) *Dominus in aedificationem et non in destructionem* Gent. IV 74.

Mutatio modi, temporis aut personae frequens est. Sic legitur *Non faciam mala ut veniant bona* Rom. III 8, quod S. Thomas citat in forma gerundivi: *Non sunt facienda mala ut veniant bona* I^{a} II^{ae} 79. 4 sed c.; II^{a} II^{ae} 33 6 arg. 3; III^{a} 68 11 ad 3. Mutatur coniunctivus in indicativum: *Legitur Act.* XIX *quod Deus faciebat virtutes per manus Pauli, et etiam desuper languidos deferebantur a corpore eius sudaria et recedebant ab eis languores* (*ita ut deferrentur* S. Script.) II^{a} II^{ae} 178 2 co.; mutatur persona 1^{a} in 3^{am}: *Quia non vult* (*nolo* in S. Script.) *mortem peccatoris* II^{a} II^{ae} 67 4 arg. 2; persona 2^{a} in 1^{am} II ad Thess. II dicitur: *elegit nos* (*vos* S. Script.) *primitias in salutem in sanctificatione Spiritus et fide veritatis* Gent. IV 17. Mutatur participium in indicativum: *Unde Apost. dicit ad Hebr.* X *quod sacerdos veteris Legis easdem saepe offerebat* (*offerens* S. Script.) *hostias, quae numquam possunt auferre peccata, Christus autem pro peccatis obtulit* (*offerens* S. Script.) *unam in sempiternum* I^{a} II^{ae} 102 3 co.; item Rom. II 15-16 in Suppl. 87 1 co. ubi insuper invertitur ordo versuum S. Scripturae: *Sicut dicitur Rom.* II *in illa die cum iudicabit Dominus, testimonium unicuique sua conscientia reddet et cogitationes erunt accusantes et defendentes,* quod mox ib. 88 2 sed c. 2 iterum citatur sed ordine debito et magis ad litteram.

Mutatur forma interrogativa in positivam per omissionem coniunctionis *nonne* in Luc. XXIV 26: *Haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam* quod ter sic citatur, III^{a} 34 4 arg. 2; 45 1 co.; 46 1 co.; item per mutationem *numquid* in *non* in Matth. IX 15: *Non possunt filii sponsi lugere* II^{a} II^{ae} 147 4 ad 5.

Saepe brevius textus adducuntur per omissionem illorum verborum quae ad casum non serviunt, pluries idem versus semper eodem modo. Sic Matth. XXV 40 habet: *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis,* quod apud S. Thomam redditur *Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis* II^{a} II^{ae} 101 4 ad 3, ita etiam 188 2 co. — E contra alibi verba aliqua adduntur: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, II Cor.* X 4, *sed spiritualia* II^{a} II^{ae} 40 2 ad 1, item Suppl. 96 7 ad 3, quae ultima duo verba non habentur in S. Script., sed potius ad sensum reddunt ea quae ibi sequuntur *potentia Deo* etc. — Quandoque constanter idem verbum mutatur in aliud, sic octies Gal. V 6 citatur in Summa Theol. *fides quae per dilectionem* (*caritatem* in S. Script.) *operatur;* forte hic agitur de alia translatione ac Vulgata nostra. Forte etiam agitur de lectione variante (vel de errore involuntario?)

I 93 4 arg. 1: *dicit Apost. I ad Cor.* XI *quod vir est imago Dei, mulier autem est imago viri* V, Vulg. *gloria viri,* ut et ipse S. Thomas in resp. ad 1. Certe agitur de lectione variante (ex graeco) ab ipso S. Thoma invocata ad Act. V 3 *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum* Gent. IV 17, *cur implevit* Gent. IV 18.

Etiam ordo versuum citatorum quandoque mutatur, praesertim si versus citantur potius modo narrativo. Sic Philip. II 8, 9 invertuntur in Gent. IV 8; *Apost. ad Phil.* II *dicit quod propter hoc Deus Christum exaltavit et dedit illi nomen quod est super omne nomen quia factus fuerat obediens usque ad mortem* Gent. IV 8; ibidem inferius hi duo versus citantur iterum et ordine debito et vicinius litterae S. Scripturae, adhaerentes, item Gent. IV 4 et 36.

Quandoque citatio constat duobus versibus conflatis. Sic Rom. VIII 19 et 22 unite citantur hoc modo: *Omnis creatura quae ingemiscit et parturit expectat revelationem gloriae futurae filiorum Dei, ut dicitur Rom.* VIII, Suppl. 91 3 sed c. 3. Item Act. V 38, 39 in $II^a II^{ae}$ 189 10 arg. 1 hoc modo: *Si est ex Deo consilium hoc aut opus, non poteritis dissolvere illud.* — Quandoque adhuc liberius, fere ad sensum, inducitur versus tanquam ad litteram citatus, e. g. *Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem* Rom. V 16, sic citatur: *Apost. ad Rom. dicit: Sicut peccatum ex uno in omnes in condemnationem, ita gratia ex uno in omnes ad iustificationem* Gent. IV 54.

Probant praedicta S. Thomam textus S. Scripturae citantem saepe longum esse a conservatione litterae textus per singula et minima verba. Quando liberiore utitur citandi modo, verba citata non raro grammatice adaptat contextui suae expositionis, retinens tamen libenter magna ex parte ipsa verba textus originalis, ex quo facto igitur talis citandi modus adhuc citatio ad litteram dici potest, et in hoc differt a citatione quae est ad sensum tantum.

Attamen si in aliqua citatione verba illa quae ad litteram concordant verbis textus originalis sint paucissima tantum, ita ut non constituant integram propositionem grammaticalem, citatio a nobis non amplius consideratur ut facta ad litteram sed ut citatio ad sensum tantum, quae proinde iuxta dicta assumitur in indice nostro sine textu addito sed notata cum asterisco, e. g.: *Unde et Evangelista* (Luc. I 29) *non dicit quod turbata fuerit in visione angeli, sed in sermone Domini* III^a 30 3 ad 3, et *Hoc autem est inconveniens quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I Tim.* IV III^a 27 2 co.; in utroque exemplo sola tria ultima verba verbotenus habentur in textu S. Scripturae. In dubio utrum aliqua citatio dicenda sit facta ad litteram an ad sensum, litterae favimus et textum verbotenus adduximus.

Saepissime accidit ut textus citatus ad litteram in aliquo argumento denuo citetur, sed ad sensum tantum, in relativa responsione; tunc in indice praeter argumentum non distincte indicavimus relativam responsionem. Si autem idem textus iam citatus ad litteram in argumento denuo ad litteram adducitur in responsione, tunc, ne lectorem forte minus attentum effugeret uberior huius textus expositio, distincte remisimus eum tam ad argumentum quam ad responsionem.

Exempla primi: Matth. IV 17 citatur ad litteram III^a 84 7 arg. 1, bis ad sensum ad 3; Matth. V 44 et Luc. VI 27 citantur ad litteram $I^a II^{ae}$ 108 4 arg. 4, ad sensum ad 4; Exod. XX 5 citatur ad litteram $I^a II^{ae}$ 87 8 arg. 1, ad sensum ad 1; I Cor. XII 8 citatur ad litteram $I^a II^{ae}$ 68 5 arg. 1, ad sensum ad 1.

Exempla alterius: Iob XIX 26 et XLII 5 citantur ad litteram I^a 12 3 arg. 1 et etiam ad 1; Iac. III 17 citatur ad litteram $II^a II^{ae}$ 45 6 arg. 3 et fusius explicatur ad 3; Eccle. I 18 citatur ad litteram $I^a II^{ae}$ 38 4 arg. 1 et ad 1; Iac. II 10 habetur ad litteram $I^a II^{ae}$ 73 1 arg. 1 et ad 1; Matth. VII 12 ad litteram adducitur $I^a II^{ae}$ 99 1 arg. 3 et ad 3; item Rom. XIII 9 ibidem arg 2 et ad 2.

Aliqui versus ad litteram iidem pluries recurrunt in S. Scriptura. Quos si indistincte a S. Thoma citantur, in indice tot locis diversis notavimus quot in margine editionis nostrae adscripti erant, immo quandoque alios superaddidimus. Sic versus *testis falsus non erit impunitus* citatus $II^a II^{ae}$ 70 4 sed c. habetur Prov. XIX 5 et 9; versus *Confitemini Domino quoniam bonus* citatus $II^a II^{ae}$ 23 5 ad 2 est versus primus psalmorum 105, 106, 117, 135.

Nobis indicem praeparantibus qui assumeret etiam ad litteram textus S. Scripturae ab auctore ad litteram citatos quaestio orta est utrum in nostro indice textus S. Scripturae ponendi essent iuxta dictionem S. Scripturae, in casu editionis Vulgatae, an iuxta modum quo citati sint a S. Thoma. Hoc ultimum reiiciendum esse putavimus, primo quia saepe nimis libere S. Thomas versus adducit, deinde quia idem versus haud raro in diversis locis diversimode citatur. Ita ubique, etiam in locis ubi versus semel tantum in utraque Summa citatus est, index exhibet textum versuum dictione, numero et ordine Vulgatae editionis, praecipue ed. Desclée 1885. Hanc exscribentes collaboratores nostri pro viribus orthographiam verborum adaptandam curaverunt solitae illi leoninae nostrae editionis, non tamen quin ex ipsa materiae exilitate, attentissimum quemque facile effugiente, in indicibus vestigia nonnulla reliquerint orthographiae alienae a solito nostro. Sic littera *j* (apud nos nunquam recepta) sexcenties eiecta remansit aliquoties in indice; obviam habuimus *ejus, jubere, Jerusalem* pro *eius, iubere, Ierusalem;* item *e* pro *ae, ceremonia* pro *caeremonia;* item *y* pro *i, hybernalis* pro *hibernalis* et quaedam leviora et usus magis ancipitis (forte etiam apud nosmetipsos), uti *m* pro *n*, *xs* pro *x* in verbis compositis, uti *tanquam* pro *tamquam; exspectare* pro *expectare.*

§ IV. - *De citationibus erroneis.*

Quicumque in hoc tomo modice tantum inspexerit, nedum diligenter examinaverit, ingentem numerum ditissimamque varietatem auctoritatum collectarum ex solis duabus Summis, maxime vero qui auctoritates ab ipso S. Thoma inductas numero et qualitate contulerit ad indices aliorum auctorum coaevorum aut anteriorum, facile convincetur de supereminentia eruditionis Doctoris Angelici. Accrescit nobis stupor de tanta mirabili unius viri eruditione, si in mentem revocamus illius temporis laborandi et scribendi conditiones. Generatim enim omnibus auctoribus, sed certe specialiori adhuc modo auctori nostro ex propriae vitae haud quieto semper decursu, saepius deerant illa omnimode praeparata studiorum subsidia quibus posterior aetas ad cognitionem auctorum praecedentium et fontium historicorum tam faciliorem paravit accessum. Quas aliorum auctorum sententias quivis nunc ex libris undique vulgatis facili negotio absque propria eruditione invenire et exscribere potest, S. Thomas plerumque ex solo memoriae thesauro educere debuit.

Hoc etiam mira facilitate eum reapse fecisse probant non sola aliorum testimonia, sed etiam ii ipsi leves citationis errores, si fas est ita appellare vestigia quaedam communis humanae infirmitatis quae etiam venerato Magistro aliorum sententias citanti aliquando acciderint. Quae si ex ipsa erroris specie et exteriore aspectu fronti quasi impressum habeant sigillum citationis memoriter factae, nonne potius in laudem auctoris quam in vituperium verti posse dicenda sunt? Equidem nisi his suppositis de « erroribus » apud S. Thomam loqui non auderem quippe qui relate ad citationum ingentem multitudinem numero paucissimi sint insuperque rarissime tangentes ipsam substantiam citationis, propter seipsos igitur vix mentione digni.

Variae sunt species quibus induuntur hi errores. Una et praecipua est quae oritur ex usu citandi auctoritates ex memoria, confusio nempe locorum parallelorum.

Liberior modus citandi quo usus est auctor in citando et novo contextui adaptando verba S. Scripturae et quem paulo supra illustravimus, profecto partim etiam debetur huic rationi quod e memoria citanti facile leves accidunt mutationes in verbis secundariis quae ad rem non faciunt. Simile aliquid quod verbis recitatis ex S. Scriptura accidit, facile et locis indicatis ex S. Scriptura evenire potuit si ex memoria indicantur: nempe quod sententia ex S. Scriptura ad litteram adducta attribuitur loco ubi non habetur ad litteram sed ad sensum tantum, dum revera habetur ad litteram in loco parallelo. Sic e. g. in III^a 74 5 co. auctor ex S. Scriptura citat: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis* quod attribuitur ab eo Lucae XXII 18; reapse hic legitur aliquid ad sensum tantum simile: *non bibam de generatione vitis;* verba autem adducta ad litteram ita leguntur in loco parallelo Matth. XXVI 29. Huius praecipue indolis sunt ex parte valde maiore sic dicti « errores » citationis S. Thomae qui propter se vix speciali consideratione digni fuissent nisi nobis indicem componentibus quaestionem solvendam posuissent uter ex duobus locis in indicem ponendus esset: revera enim auctor citat Lucam, revera autem verba adducta ad litteram sunt Matthaei. Utrumque igitur locum assumendum esse decrevimus: Lucam sine textu adscripto, sed asterisco * notatum sicut ceteros locos ad sensum tantum citatos, Matthaeum plenis verbis sicut alios textus ad litteram citatos.

His similes sunt citationes nonnullae alterius speciei ubi textus a S. Thoma adductus nullo loco adamussim legitur iisdem verbis, sed conflatus videtur ex verbis quae leguntur partim in loco ab auctore rite indicato, partim in loco huic parallelo, e. g.

in Iª IIae 2 3 ad 1 citatur: *Filius hominis confitebitur eum in gloria Patris sui coram angelis eius,* auctor remittit ad Marc. VIII 38, ubi legitur: *Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis;* textus S. Thomae conflatus videtur ex hoc versu et ex loco parallelo Luc. XII 8: *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.* In similibus casibus nos locum a S. Thoma indicatum posuimus ex solita regula apud citationes ad litteram factas in indice S. Thomae; locus ab editoribus additus, cum quo textus S. Thomae conflatus videtur, locum suum item secundum normas consuetas habebit in indice editorum.

Valde raro obviam habuimus errorum tertium genus, citationem scilicet S. Thomae cuius indicatio re vera omnino erronea dicenda videtur, e. g. Gent. I 92 adducitur tanquam ex Michea VI: *Quaerite mansuetum, quaerite bonum;* aliquid simile in toto cap. VI (recole S. Thomam nondum nosse numeros versuum) non invenimus; valde probabiliter auctor intendit Soph. II 3 ubi legitur: *Quaerite iustum, quaerite mansuetum.* In similibus casibus, qui rarissimi sunt in citationibus S. Scripturae, nihil omnino in indice posuimus sub loco erronee indicato (in casu sub Michea VI), sed plenis litteris textum adductum posuimus sub vero suo auctore (in casu sub Soph. II) cum additione inter uncinos (*nomine* Mich. VI). Huiusmodi verioris nominis « errores », idest ubi textus citatus nullimode invenitur in loco indicato, paululum minus raro occurrunt apud S. Thomam in citationibus ex aliis auctoribus et fontibus. Tunc vero saepe error falsae attributionis non directe S. Thomae imponi potest cum pluries deberi videatur communi sui aevi ignorantiae de origine huius auctoritatis. Facile enim error iam inde universaliter acceptus esse potuit quod habebatur vel in collectionibus ceteroquin auctoritatem habentibus uti sunt Glossa, Ius canonicum et civile, vel florilegia undique divulgata cum dictis Sanctorum Patrum, vel saecularis traditio oralis scholae. Pro viribus editores leonini tales errores corrigere conati sunt in marginibus editionis, celebriores loci speciatim illustrantur in praefationibus inde a Tomo VIII. Nos in hoc tomo indicum assumpsimus tantum indicationes correctas nulla mentione facta de locis erronee indicatis nisi addito inter uncinos (*nomine N. N.*), e. g. infra p. 178 c sub Ambrosio citationi *Expositio in Ps. 118* serm. 8 n. 26 occurrenti in IIIª 84 10 arg. 6 adscripsimus: (*nomine* Gregorii), quia S. Thomas inducit nomine Gregorii hanc auctoritatem, de qua deinceps inferius p. 213 sq. sub Gregorio nulla amplius facta est mentio.

Nostrum non est hic clenchum texere completum omnium « errorum » in citationibus S. Thomae. Illos tertiae speciei ex indicibus infra positis quisquis facile eruere potest colligendo citationes quibus suffiximus additionem (*nomine* N. N.), vel (*titulo* N. N.) si agatur de erronea citatione tituli libri, e. g. sub Ambrosio p. 179 b *De mysteriis* citatum erronee sub titulo *De officiis.* Magis nostra refert exemplis illustrare quomodo illi leviores errores primae et alterius speciei, vix erroris nomine culpandi, ex ipsa figura denotent non solum propriam, sed indirecte probabiliter etiam aliarum citationum originem immediatam ex spontanea citatione memoriter facta absque ullo recursu ad textum scriptum libri citati. Rite enim intellecti tales errores qui in S. Thoma communes humanae industriae et memoriae conditiones ostendunt unitas supereminenti illi vastissimae positivae eruditionis thesauro, apti sunt qui nedum diminuere immo potius augere possint S. Doctoris gloriam. Plane proinde nobis liceat hic submittere nonnullos « errores S. Thomae » casu potius obviam habitos quam consilio et ordine systematico collectos (cf. etiam Tom. XI p. XXIII b n. 39, Tom. XII p. VII b):

In Iª 6 2 arg. 2 et Gent. I 38 pro *nemo bonus nisi solus Deus* remittitur ad Matth. XIX 17, quod ad litteram sic habetur Luc. XVIII 19; in Matthaeo l. c. legitur idem ad sensum sed alia littera *Unus est bonus, Deus,* prout et rite citatur in IIIª 20 1 co. — In Iª 108 5 sed c. et Gent. III 80 pro nomine *Cherubim* citatur Ez. I; hic narratur visio Ezechielis, sed de nomine Cherubim expressius sermo est Ez. X 15, 20. — In Iª IIae 109 6 arg. 2 pro textu *Deus dat spiritum bonum petentibus se* invocatur Matth. VII 11; magis ad litteram hoc legitur Luc. XI 13; in Matthaeo l. c. legitur *quanto magis Pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se.* — Iª IIae 102 6 arg. 4 textus *quia post mortem non habent quid faciant* Matthaeo X 28 adiudicatus vicinius adhaeret litterae Lucae XII 4 quam Matthaei, hic legitur *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* — Pro *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* quinquies (IIª IIae 10 8 arg. 4; 20 1 co.; 64 2 arg. 2; 67 4 arg. 2; Gent. IV 53) citatur Ez. XVIII 23, sed litterae vicinior est Ez. XXXIII 11; in XVIII habetur *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* — Pro *Eleemosyna viri gratiam hominis quasi pupillam conservabit* in IIª IIae 32 4 sed c. citatur Eccli. XXIX 15, 16; melius ad litteram hoc habetur ib. XVII 18. — In IIª IIae 84 3 sed c. pro *Domus mea domus orationis vocabitur* citantur Is. LVI 7 et Ioan. II 16 ubi tamen legitur *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Textus inductus habetur ad litteram Matth. XXI 13. — In IIª IIae 147 4 sed c. pro *Non possunt filii sponsi ieiunare quandiu cum ipsis est sponsus* citatur Luc. V 34, sed magis ad litteram hoc legitur Matth. IX 15. Habetur in Luca *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?* — Saepe permutantur singula elementa versus Col. III 11: *Ubi non est gentilis et iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* cum elementis Gal. III 28: *Non est iudaeus neque graecus; non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Sic quater in Iª 93 6 ad 2, IIIª 67 4 co.; 70 2 arg. 4; 72 10 ad 3 citatur Col., sed littera est Gal. In IIIª 66 10 arg. 3 nominatur neutrum; in IIIª 36 3 co. et IIª IIae 177 2 ad 2 nominatur Col., sed his tribus locis textus est conflatus ex Col. et Gal. In Suppl. 52 2 sed c. 1 citatio et littera sunt tantum Gal. — In IIIª 8 1 co. citatur Ierem. II 20 pro *Ad omne caput viae posuisti lupanar tibi* quod magis ad litteram invenitur Ez. XVI 24, 25, 31. — Versus *Hoc facite in meam commemorationem* ex Luc. XXII 19 semel rite citatur ex Luc. in Iª IIae 107 1 arg. 3; bis sine auctore, in IIIª 82 1 co. et Suppl. 37 5 ad 2; bis, in IIIª 73 5 arg. 3 et 80 11 co., adscribitur Matthaeo XXVI 26 ubi de institutione Eucharistiae agitur, sed verba citata ibi desunt. — In Suppl. 59 6 arg. 3 citatur *Si dextra manus tua scandalizet te, abscide eam et proiice abs te* ex Matth. XVIII 8 et fere ad litteram, citatur autem propter glossam Hieronymi, sed haec et littera vicinior est litterae Matth. V 30; in IIª IIae 10 9 ad 3 citatur uterque locus. — Suppl. 71 3 ad 5 pro *Ex fructu suo arbor cognoscitur* citatur Matth. VII 16 ubi legimus *A fructibus eorum cognoscetis eos;* textus citatus habetur ad litteram paulo inferius ib. XII 33. — In Suppl. 77 3 ad 2 et Gent. III 53 pro *Civitas Dei non egebit neque sole, neque luna, quia claritas Dei illuminabit eam* citatur Apoc. ult., forte XXII 5, probabilius intenditur XXI 23 ubi verba adducta ad litteram habentur. — Suppl. 83 6 sed c. 1 pro *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet* remittitur ad Ioan. XX 27 ubi hoc non legitur in narratione apparitionis Iesu, sed bene in loco parallelo Luc. XXIV 39. — In Suppl. 87 1 arg. 3 citatur *Fugiet ab eis dolor et gemitus* ex Apoc. XXI 4, sed ad litteram melius habetur Is. XXXV 10. — App. S. 1 1 sed c. citat ad sensum *Nihil immundum ad gloriam perveniet, ut patet per Apoc. ult.* Forte intenditur XXII 15 (sicut in Suppl. 74 1 co.), sed probabilius locus intentus erat XXI 27.

Gent. I 42 citat pro *Non erunt tibi dii alii praeter me* Exod. XX 3, ad sensum hic adest, sed vicinior litterae est Deut. XXXII 39. — Gent. I 59 habet *Et hoc est quod dicitur in Psalmo: Est autem Deus verax.* Indicari potest Ps. CXVIII 151, sed ad litteram melius habetur Rom. III 4, cui et adiudicatur hoc loco a Commentatore Ferrariensi et alibi ab ipso S. Thoma inferius I 61 et 93. — In Gent. I 93 pro *Apud ipsum est prudentia et fortitudo* citatur Iob XXVI 2, 3, sed magis ad litteram stat ib. XII 13. — In Gent. II 82 refertur ad Gen. IX 5 pro *Anima illius in sanguine est,* habetur hic nisi ad sensum, litteram vide Levit. XVII 14. — Gent. III 57 citat ex Apoc. XX *Eadem mensura hominis et angeli,* in hoc cap. est nihil huic simile, sed habetur ad litteram paulo inferius XXI 17. — Gent. III 63 remittit pro *Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus aestus* ad Is. XLIX 10 et ad Apoc. XXI, pro quo melius fuisset VII 16. — In Gent. III 75 citatur ex Matth. VI 26 *Duo passeres asse veneunt et unus ex eis non cadit in terra sine Patre meo,* quod ad sensum quidem hic habetur, sed ad litteram ib. infra X 29. — Gent. III 79 citatur ex Psalmo *Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis;* habetur re in Ps. CIII 4, sed littera quae citatur est Pauli Hebr. 1 7. — Gent. III 97 pro *Quis ei dicere potest: cur ita facis?* citatur Iob XI 10, ad sensum hic adest, sed melius ad litteram Iob IX 12; vel fortene est simplex error scriptoris, XI pro IX? — In Gent. III 118 et IV 5 pro *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est* inducitur Exod. XX 2, 3, ubi sensus adest sed litterae melius respondet Deut. VI 4. — Gent. IV 5 *Pater in me manens, ipse facit opera* inducitur ex Ioan. V 19; littera est vicinior ib. XIV 10. — Gent. IV 17 *Quomodo dicunt scribae Christum filium David esse? Ipse enim dicebat in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis* tribuitur Matth. XXII 43, 44; sed ad litteram sic legitur potius in loco parallelo Marc. XII 35, 36. — In partibus deletis Gent. III (Tom. XIV p. 31 * a 48) *Misertus est Dominus super malitiam quam locutus est ut faceret eis et non fecit* adscribitur Ioel III, ubi nihil huiusmodi invenimus: habetur autem ad litteram Ionas III 10.

Exemplo supra allato de citatione ubi textus adductus est conflatio ex littera loci indicati et loci paralleli, quaedam alia addimus. In IIª IIae 184 6 ad 2 pro *Alii opitulationes, alii gubernationes* citatur I Cor. XII et videtur esse conflatio versuum 10 et 28 huius capituli. — Suppl. 99 3 arg. 4 citat *Numquid in aeternum irascetur Deus* ex Psalmo, probabiliter intenditur Ps. LXXVI 8 (ut patet ter ex ad 4), sed littera est conflatio ex Ps. LXXVI 8 et LXXXIV 6.

Non apud solas citationes ex S. Scriptura in textu S. Thomae occurrunt levia errata huiusmodi quae ex ipsa specie denotant magnam familiaritatem auctoris ad S. Scripturam universam toties citatam mira spontaneitate ex solo memoriae thesauro, sed etiam idem haud raro observatur in citationibus

aliorum auctorum sacrorum et profanorum, quod exemplis illustrare volumus:

In I^a 90 1 co. habetur: *Unde et Varro dixit quod Deus est anima mundum motu et ratione gubernans, ut Aug. narrat VII de Civitate Dei;* re vera hic, c. 6 (P. L. XLI 199) agitur de opinione Varronis, sed ad litteram textus est ex IV c. 31 (ib. 138). — In I^a II^{ae} 71 5 arg. 2 *Aug. dicit in libro de Libero Arbitrio, quod omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum;* sensus adest hic in III c. 18 (P. L. XXXII 1295), sed fere ad litteram habetur *De Vera Religione* c. 14 (P. L. XXXIV 133). — I^a II^{ae} 31 6 arg. 2: *Unicuique fit delectabile illud quod amat, ut Philosophus dicit in I Rhetoric.*, (1370 b 19 sq.); sed ad litteram ad plenius habetur Ethicor. I (1099 a 8). — I^a II^{ae} 48 3 arg. 1: *Ira est cum ratione, ut dicitur in VII Ethic.* (1149 b 1), melius fuisset indicatum *De problematibus* (949 b 17), ut fecit ipse S. Thomas paulo superius I^a II^{ae} 46 4 ad 1; cf. hic sed c. — I^a II^{ae} 94 1 arg. 2: *Basilius dicit, quod conscientia sive synderesis est lex intellectus nostri;* est tamen Damasceni *De fide orthodoxa* IV 22. — In II^a II^{ae} 13 4 sed c. citatur Apoc. XVI 9 propter glossam, sed glossa habetur ad vers. 21. — In II^a II^{ae} 23 4 arg. 1 adscribitur definitio virtutis Hieronymo quae tamen est Augustini Epist. 167 ad Hieronymum. — II^a II^{ae} 65 1 arg. 1 *Peccatum committitur per hoc quod receditur ab eo quod est secundum naturam in id quod est contra naturam* adscribitur Damasceno II° libro; hic habetur aliquid simile in c. 4 (P.G. XCIV 875) et c. 30 (ib. 975), sed melius ad litteram invenitur in libro IV c. 20 (ib. 1195). — II^a II^{ae} 123 8 arg. 1: *Delectatio est operatio connaturalis habitus non impedita ut dicitur X Ethic.* (1174 b 18-20), sed melius ad litteram hoc habet VII Ethic. (1153 a 14-15). — II^a II^{ae} 183 2 arg. 3: *Philosophus dicit VII Polit. quod modica differentia facit in civitate dissidium,* deest loco indicato, sed habetur superius in libro V (1303 b 14). — In III^a 16 8 arg. 1 et 54 4 ad 2 citantur nomine Leonis Papae sermones qui habentur inter opera supposititia Augustini (P. L. XXXIX 1735 sq.). — III^a 82 10 sed c.: *Ambrosius dicit in quadam oratione,* oratio autem citata est Anselmi Orat. 33.

His ultimis duobus exemplis valde probabiliter agitur de errore orto ex communi illius aevi ignorantia, quales multi alii fusius iam illustrati sunt in praefationibus Tomorum VIII-XII, circa quos autem ut diximus nunc intentio nostra non versatur.

Etiam apud commentatorem Caietanum ex magna ubertate et spontaneitate qua auctoritatibus S. Scripturae usus est, obviam habemus similes leves errores citationis ac in S. Thoma. Nonnulli sint in exemplum:

In I^a II^{ae} 109 8 com. XII pro *Proni sunt sensus hominis* etc. inducitur Gen. VI 5; melius ad litteram hoc invenitur Gen. VIII 21. — II^a II^{ae} 1 10 com. V citat Ioan. XIV 26 pro *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem,* quod ad litteram melius inducitur ex XVI 13. — II^a II^{ae} 89 7 com. XXII citat sine auctore indicato: *Quicumque me erubuerit coram hominibus, hunc et Filius hominis erubescet coram angelis Dei,* quod est conflatum ex Luc. IX 16 et XII 9. — In II^a II^{ae} 120 1 com. IV de fornicariis *dicitur ad Gal.* V, *quod regnum Dei non possidebunt;* est conflatio Gal. V 19, 21 cum I Cor. VI 9, 10. — II^a II^{ae} 122 4 com. III loquitur de gravitate peccati transgressionis festi; *Unde et poena mortis primus violator affectus est, Lev.* XXIV; sed hic vers. 10 sq. agitur de poena blasphematoris; melior est et probabiliter etiam intentus fuit Num., XV 32 sq.

Quandoque Caietanus ex memoria citando in errorem incidit ubi S. Thomas recte citat; sic in II^a II^{ae} 103 3 1 Hieronymo adscribit illud quod paulo inferius in II^a II^{ae} 104 5 co. S. Thomas recte Senecae attribuit; *cf. etiam* Corrigenda p. XXV b *sub* Seneca.

ADDENDA ET CORRIGENDA IN PRIMA PARTE

Repetuntur quaedam maioris momenti ex elencho p. 278. Aliqua durante impressione detecta et in multis exemplaribus correcta sunt.

IN SECTIONE SACRAE SCRIPTURAE

	Pag.
In praefatione, lin. 7: *pro* 65 sq. *lege* 75 sq.	3
» » » 13: *pro* 1 1, 4 *lege* 1 1, 5	»
» » » 14: *pro* arg. 1 *lege* arg. 2	»
Exod. XIV 21: *pro* » » *lege* » IIIª	76 a
I Regum XXV 22, 32 sq.: *ante* 89 7 *adde* IIª IIae	71 a
II Regum XIV: *dele hic* IIª IIae 57 4 IV, *iam adest* p. 77 b	» »
Esther III: *hic adde* vers. 1, *et dele* p. 77 d	71 b
Cant. Cant. VIII 12 Vinea: *hanc lineam pone sub* » Gent.	23 b
Eccli XV 3: *dele hic* IIª IIae 147 3 IV (*iam adest* p. 78 d) *et* IIIª 80 12 III	71 d
Eccli XXXVI 27 Iª 92 1 II: *adde* III	72 a
Is. XXIX 13 (IIª IIae): *pro* ( ) *lege* *	28 b
Ierem. XXIX: *pro* XXIX *lege* XXXIX	79 b
» XLI 8: *dele* Cai. ad Conr. 1 3, *iam adest* p. 72 a	» »
Ezech. XXVIII 14: *dele* Iª 63 6 arg. 1	31 d
Dan. XIII 24: *dele hic, iam adest* p. 79 c	72 b
Ion. IV: *iunge* IIª IIae *cum* 173, *et* Suppl. *cum* 99	79 c
Matth. VI 34: *pro* I *lege* 1	72 c
» XII: *adde* 5 IIª IIae 122 4 IX	» »
» XIX 6: *pro* » 55 *lege* Suppl. 55	80 a
» » 17: *pro* Iª *lege* * Iª; *pro* (Gent.) *lege* * Gent.	38 b
» XXVI 26 sq.: *pro* » *lege* Suppl.	80 b
Luc. XII 9: *dele hic, iam adest* p. 73 a	81 a
Ioan III 36: *pro* Iª IIae III 159 *lege* Iª IIae 88 4 arg. 1	44 c
» VI 54, 55, 59: *pro* 59 *lege* 57	73 b
» XX 15: *pro* 5 1 *lege* 4 1	73 c
Rom. I 29: *dele hic et* p. 82 b, *adest* p. 261 a, *etiam adde* p. 228 *sub Ambrosio*; cf. praef. p. XV b	73 d
Rom. II 15: *dele hic, iam adest* p. 223 c, cf. praef. p. XV b	82 b
I Cor. VII 34: *pro* » (*sub* 34) *lege* 38	74 a
» XIII 4 sq.: *pro* Suppl. *lege* IIª IIae	74 b
» XV: *adde* 28 Iª IIae 109 3 V; IIIª 13 2 I	» »
» »: *adde* 46 IIIª 27 2 VII	83 b
Gal. VI: *pro* 67 *lege* 6-7	74 c
Ephes. III 17: *pro* » » 8 *lege* » IIª IIae 8	59 d
Philip. II 9: *dele* Gent. IV 6	60 d
II Tim. II 4: *pro* » » *lege* » IIª IIae	84 a
I Petr. II 16: » *sub* 16 *pone supra* 16	66 c
Apoc. XXI: *adde* 5 IIIª 13 2 I	75 d

IN SECTIONE OPERUM S. THOMAE

Hic addenda numero quidem sunt plurima, pondere tamen minima. Fere omnia sunt citationes occurrentes in textu Caietani et quidem, ut iam solos numeros inspicienti illico patet, plerumque agitur de citatione loci valde vicini loco citationis. Quo enim factum est ut locus citationis nullo numero appareat in margine et saepissime nec etiam in ipso textu, sed ibi indicatur vel per verba tantum, ut *in articulo*, *in quaestione praecedenti*, *sequenti*, vel per numeros plenis verbis scriptos, ut *supra*, *infra in articulo secundo*, *tertio*, *etc.*, *huius quaestionis*. Citationes hoc modo factae facillime fugere potuerunt oculos collaboratorum cito columnas percurrentium ut citationes exscriberent, non amplius autem illos latuerunt postea quando pro conficiendo indice rerum totum textum Commentatoris attentius verbotenus perlegerunt, et ex non-deletione alicuius citationis (cf. de hoc dicta supra p. XIV b) illico arguere potuerunt ad eius omissionem in nostris indicibus auctoritatum. Cum isti propter rationes technicas iam typis impressi extabant, ibi omissa hic in fine praefationis adhuc addenda curavimus.

	Pag.
Iª Prologus: *adde* Iª 115 6 XVII; IIª IIae 96 2 IV	108 a
Iª 1 2 ad 3: *pro* 1 *lege* 3; *post* XV *adde* 2	126 a
» » 7: *adde* Iª 1 6 IV	108 a
Iª 3: *adde* Iª 2 3 III; 6 3 II	» »
» » 7: *adde* Iª 3 8 IV	» »
» » 8: *adde* Iª 3 7 I	» »
Iª 4 2: *adde* Iª 4 1 I	» »
Iª 5: *adde* Iª 3 5 III	» »
Iª 6 1: *adde* Iª 6 2 III	108 b
Iª 7 Introd.: *adde* Iª 5 1 II	» »
Iª 9, 10: *adde* Iª IIae 5 4 I	» »
Iª 11: *adde* Iª 4 3 I	» »
Iª 12: *adde* Iª 10 5 XVI	» »
Iª 13 3: *adde* Iª 13 2 VII	108 c
Iª 14 6: *adde* Iª 14 5 X	» »
Iª 15 2: *adde* Iª 15 1 VI	109 a
» » 3 ad 1: *dele hic, iam adest* p. 126 c	» »
Iª 16 1: *adde* Iª 16 3 II	109 a
Iª 17 1: *adde* Iª 17 2 IV	» »
Iª 19 3: *adde* Iª 19 2 IV, V; 4 II	» »
Iª 23 5: *adde* IIIª 1 3 III	109 b
Iª 24 1: *adde* Iª 24 3 III	» »
» » 2 ad 3: *adde* Iª 24 3 IV	» »
Iª 27 4: *adde* Iª 27 3 XII	» »
Iª 32 3: *adde* Iª 32 2 I	» »
Iª 34 2: *adde* Iª 34 3 X	» »
Iª 35 2: *adde* Iª 35 1 II	109 c
Iª 36 3: *adde* Iª 36 2 XXVI	» »
Iª 38 1 ad 4: *adde* Iª 38 2 V	» »
Iª 39 8: *adde* Iª 39 4 VIII	» »
Iª 40 2: *adde* Iª 40 4 IV	» »
» » 4: *adde* Iª 40 2 VI, XIV	» »
Iª 43 8: *adde* Iª 43 1 II	» »
Iª 44 2: *adde* Iª 44 1 III	» »
Iª 46 2 ad 1: *adde* Iª 46 3 II	110 a
Iª 48 1 ad 4: *adde* Iª 48 2 III	» »
» » 6: *adde* Iª 49 3 IV	» »
Iª 56 1: *adde* Iª 55 1 IV	110 b
Iª 58 6: *adde* Iª 58 7 III	» »
Iª 63 1 ad 4: *adde* Iª 63 2 IV	» »
» » 2 (prima vice): *pone semilineam* » 2 Iª IIae *sub* 62 1 ad 3, *eamque iunge cum* 109 tit.: *sequens* 62 3 Iª *iunge cum* 20 4 com. II, *et sic deinceps novies iunge priorem semilineam cum posteriore semilinea sequentis lineae*	127 b
Iª 64 4 ad 3: *adde* Suppl. 69 2 tit.	110 c
Iª 75 1: *adde* Iª 75 2 XI	» »
Iª 76 1: *adde* Iª 76 2 XV	» »
Iª 77 7: *adde* Iª 77 6 VI	» »
Iª 78 11: *pro* 11 *lege* 4 (*corr.* L.)	88 c
Iª 82 2: *adde* Iª 82 1 VII, XII, XV	111 a
Iª 86 3: *adde* Iª 86 4 II	» »
Iª 92 2: *adde* Iª 92 1 II, III	111 b
Iª 93 2: *adde* Iª 93 1 III; 6 1	» »
Iª 97 2: *adde* Iª 97 4 IV	» »
Iª 105 7 ad 1: *adde* Iª 105 8 II	» »
Iª 107 1: *adde* Iª 107 2 II	» »
Iª 108 6: *adde* Iª 108 5 II	» »
Iª 114 4: *dele* Suppl. 71 3 arg. 4 (*cf. infra* Iª IIae 114)	128 a
Iª 119 2: *adde* Iª 119 1 VI	111 c
Iª IIae 1 2: *adde* Iª IIae 1 1 III	» »
» » 5, 7: *adde* Iª IIae 1 6 I	» »
» » 6: *adde* Iª IIae 19 10 I	» »
Iª IIae 3 4: *pro* 4 Iª IIae *lege* 1 IIª IIae	» »
» » » (*sub* 3 3 Gent.): *pro* » » » *lege* » 4 Iª IIae	» »
Iª IIae 3 6, 8: *adde* Iª IIae 3 7 I	» »
Iª IIae 4 6: *adde* Iª IIae 4 5 II	» »
Iª IIae 8 1 ad 1: *adde* Iª IIae 8 2 I	112 a
» » 2: *adde* Iª IIae 8 3 I	» »
Iª IIae 9 1: *adde* Iª IIae 9 4 II	» »
» » 2: *adde* Iª IIae 77 1 I	» »
» » 3: *adde* Iª IIae 9 4 I, II	» »
Iª IIae 12 4: *adde* Iª IIae 8 3 V	» »
Iª IIae 18 6: *adde* Iª IIae 18 4 II, IV	112 b
Iª IIae 19 2: *adde* Iª IIae 19 1 III	» »
Iª IIae 20 4: *adde* Iª IIae 20 3 VI	» »
Iª IIae 22 1: *adde* Iª IIae 22 3 *post* III	» »
Iª IIae 25 3 ad 3: *adde* Iª IIae 25 2 III	» »
Iª IIae 27 1: *adde* Iª IIae 27 3 I, II	» »
Iª IIae 31 2: *adde* Iª IIae 31 5	» »
Iª IIae 49: *adde* Iª IIae 50 6	112 c
Iª IIae 52 1: *adde* Iª IIae 52 2 II	» »
» » 3: *adde* IIª IIae 24 6 III	» »
Iª IIae 56 2: *adde* IIª IIae 162 3 III	» »
» » 3: *adde* Iª IIae 57 4	» »
Iª IIae 60 3: *adde* Iª IIae 60 2 II; 5 IV	113 a
Iª IIae 63 2: *adde* Iª IIae 64 3 I	» »
» » 4: *adde* Iª IIae 63 3 II	» »
Iª IIae 65 4: *adde* Iª IIae 65 1 II	» »
Iª IIae 66 3: *adde* Iª IIae 61 2	» »
Iª IIae 67 4: *adde* Iª IIae 67 3 I, III	» »
» » 5: *adde* Iª IIae 67 3 I	» »
Iª IIae 72 1: *adde* Iª IIae 71 6 V	» »
Iª IIae 74 2: *adde* Iª IIae 74 1 IV; 4 V	113 b
» » 3: *adde* Iª IIae 74 4 V	» »
Iª IIae 76 3 ad 3: *adde* Iª IIae 76 4 IV	» »
» » 4: *adde* Iª IIae 76 3 IV	» »
Iª IIae 78 1 ad 1: *adde* Iª IIae 77 2 II	» »

	Pag.
Iª IIae 82 2: *adde* Iª IIae 82 1 VIII	213 b
» » 3: *adde* Iª IIae 83 2 II	» »
Iª IIae 85 5, 6: *adde* Iª IIae 85 3 III	» »
Iª IIae 91 4: *adde* Iª IIae 91 3 I	113 c
Iª IIae 100 6: *adde* Iª IIae 100 11 I	» »
» » 11: *adde* Iª IIae 100 3	» »
Iª IIae 109: *adde* Iª IIae 91 6	» »
» » 1: *adde* Iª IIae 109 2 XIV	» »
» » 2: *in* Iª IIae 109 3 II, 6 II *pro* 6 II *lege* 6 I	» »
» » 4: *adde* Iª IIae 109 1 IV	» »
» » 6: *adde* Iª IIae 109 7 V	» »
» » 7: *adde* Iª IIae 109 8 VIII	» »
» » 9: *adde* Iª IIae 109 10 I	» »
» » 10: *adde* Iª IIae 109 9 II, IV	» »
Iª IIae 113 1: *adde* Iª IIae 113 2 X; 6 I, IV; 8 I	114 a
» » 1 ad 1: *adde* Iª IIae 113 5 III	» »
» » 9: *adde* Iª IIae 113 10 VII	» »
Iª IIae 114 3: *adde* Iª IIae 114 1 V	» »
» » 4: *adde* Suppl. 71 3 arg. 4 (*corr.* L.)	130 a
IIª IIae 1 5 ad 1: *adde* IIª IIae 1 4 VIII	114 a
IIª IIae 2 2: *adde* IIª IIae 1 1 XI	» »
IIª IIae 4 2: *pro* 4 2 *lege* 83 4 ad 2 (*corr.* L.)	130 a
IIª IIae 10 9: *adde* IIª IIae 94 Introd.	97 a
IIª IIae 18 1: *adde* IIª IIae 18 2 I	114 b
IIª IIae 19 2: *adde* IIª IIae 19 8 II	» »
» » 7: *adde* IIª IIae 22 2	» »
» » 10: *adde* IIª IIae 19 8 III	» »
IIª IIae 24 8 ad 3: *adde* IIª IIae 24 7 XVI	» »
IIª IIae 25 9: *in* IIª IIae 25 6 I *pro* 25 *lege* 26	» »
IIª IIae 26 5 ad 3: *adde* IIª IIae 64 7 II	» »
» » 7: *adde* IIª IIae 26 6 III	» »
IIª IIae 30 3, 4: *adde* IIª IIae 58 12	» »
IIª IIae 31 1 co., ad 3: *adde* IIª IIae 30 3	» »
IIª IIae 32 7: *adde* IIª IIae 100 6 I	» »
IIª IIae 33 3: *adde* IIª IIae 33 2 II	» »
IIª IIae 34 2: *adde* IIª IIae 34 1 II	» »
IIª IIae 36: *adde* IIª IIae 35 4 II	114 c
» » 2: *adde* IIª IIae 36 1 V	» »
IIª IIae 47 4: *adde* IIª IIae 47 5	» »
» » 7: *adde* IIª IIae 47 6 V	» »
IIª IIae 51 4: *adde* IIª IIae 120 2 IV	» »
IIª IIae 62 1 ad 3: *adde* IIª IIae 62 2 IX	» »
» » 2: *adde* IIª IIae 62 6 VIII	» »
IIª IIae 77 1: *adde* IIª IIae 78 2 VII	115 a
IIª IIae 81 5: *adde* IIª IIae 81 3	» »
IIª IIae 82 2: *adde* IIª IIae 82 1 II	» »
IIª IIae 89 5 ad 1: IIª IIae 89 7 VII	» »
IIª IIae 93 1: *adde* IIª IIae 91 2 III	» »
» » 2: *adde* IIª IIae 93 1 II	» »
IIª IIae 96: *adde* IIª IIae 95 4 V	» »
IIª IIae 100 3: *adde* IIª IIae 122 1 I	115 b
IIª IIae 101 1 ad 3: *adde* IIª IIae 102 1 II	» »
IIª IIae 102 1: *adde* IIª IIae 103 4 I	» »
» » 1 ad 2: *adde* IIª IIae 103 4 II	» »
IIª IIae 103 2 ad 2: *adde* IIª IIae 102 1 I	» »
IIª IIae 107 2 ad 1: *adde* IIª IIae 107 3 III	» »
IIª IIae 110 2: *adde* IIª IIae 110 4 I	» »
IIª IIae 122: *adde* IIª IIae 65 4	» »
IIª IIae 123 4 ad 2; 6 co.: *adde* IIª IIae 123 3 II	» »
IIª IIae 124 2 ad 1: *adde* IIª IIae 124 3 III *bis*	» »
» » 3: *adde* IIª IIae 124 2 IX	» »
» » 5: *adde* IIª IIae 124 2 XIII	» »
IIª IIae 128 ad 6: *pro* IIª IIae 120 *lege* IIª IIae 129	» »
IIª IIae 129 6 ad 3: *adde* IIª IIae 128 1 X	» »
IIª IIae 150 2: *adde* IIª IIae 150 1 IV	115 c
IIª IIae 154 1: *adde* IIª IIae 154 11 VIII	» »
» » 12: *adde* IIª IIae 154 1 XIII	» »
IIª IIae 155 3: *adde* IIª IIae 155 1	» »
IIª IIae 156 3: *adde* IIª IIae 155 1	» »
IIª IIae 158 7: *adde* IIª IIae 158 6 I	» »
» » 8: *adde* IIª IIae 158 1	» »
IIª IIae 161 6 arg. 1: *adde* IIª IIae 161 5 XXI	» »
IIª IIae 162 2: *adde* IIª IIae 162 8	» »
» » 3 ad 4: *adde* IIª IIae 162 1 III	» »
IIª IIae 163 2: *adde* IIª IIae 163 1	» »
IIª IIae 173 2: *adde* IIª IIae 173 3 I	116 a
» » 4: *adde* IIª IIae 171 5 I	» »
IIª IIae 180 2 ad 1: *adde* IIª IIae 180 7 II	» »
» » 6: *adde* IIª IIae 179 1	» »
IIª IIae 182 2: *adde* IIª IIae 182 1 IV	» »
IIª IIae 183 4: *adde* IIª IIae 183 1 I	» »
» » 4 ad 2: *adde* IIª IIae 183 1 III	» »
IIª IIae 184 3: *adde* IIª IIae 184 1 I	» »
» » 8: *adde* IIª IIae 184 4	» »
IIª IIae 185 4: *pro* 89 7 I *lege* 189 7 I	» »
IIIª 2 1: *adde* IIIª 2 2 XIV	» »
» » 2: *adde* IIIª 2 3 I; 6 IX	116 b
» » 4: *adde* IIIª 2 3 III	» »
» » 6: *adde* IIIª 2 2 VI	» »
» » 7: *adde* IIIª 2 8 I *bis*, IV	» »
IIIª 3 2 ad 2: *adde* IIIª 3 3 X	» »
IIIª 3 3: *adde* IIIª 2 2 XIII	» »
» » » » » 3 2 I, III	» »
» » 8: *adde* IIIª 4 1 IX	» »
IIIª 6 2: *adde* IIIª 6 1 III	» »
» » 5: *adde* IIIª 6 1 III, IV	» »
IIIª 7 13: *adde* IIIª 7 12 III	» »
IIIª 8 7: *adde* IIIª 8 8 III	116 b
IIIª 9 3: *adde* IIIª 9 4 V	» »
IIIª 10 2: *adde* IIIª 10 3 II	» »
IIIª 11 1: *adde* IIIª 9 3 III	» »
» » 2: *adde* IIIª 11 4 II	» »
» » 4: *adde* IIIª 11 1 III	» »
» » 5 ad 1: *adde* IIIª 11 6 III	» »
» » 6: *adde* IIIª 11 4 II	» »
IIIª 15 2: *adde* IIIª 27 3 I	116 c
IIIª 27 4 ad 1: *adde* IIIª 27 3 VIII	» »
IIIª 31 5: *adde* IIIª 31 6	» »
IIIª 35 2: *adde* IIIª 35 1 III	» »
IIIª 41 1 ad 3: *pro* IIIª 80 *lege* Iª IIae 80	» »
IIIª 46 3: *adde* IIIª 46 2 I	» »
IIIª 57 4: *adde* IIIª 57 5 II	117 a
IIIª 58 2 ad 3; *adde* IIIª 58 3 I	» »
IIIª 62 2: *adde* IIIª 62 1 VI	» »
IIIª 63: *adde* IIIª 62 1 VI	» »
» » 1: *adde* IIIª 63 2 III	» »
» » 5 ad 2: *adde* IIIª 63 4 V	» »
» » 6: *adde* IIIª 63 1 I	» »
IIIª 65 1: *adde* IIIª 65 2 II	» »
IIIª 69 3: *adde* IIIª 69 7	» »
IIIª 71 1 ad 3: *pro* 71 *lege* 81 (*corr.* L.)	133 a
IIIª 75 2: *adde* IIIª 75 1 V	117 b
IIIª 76 3: *adde* IIIª 76 1 III, VI	» »
» » 4: *adde* IIIª 76 1 III	» »
IIIª 79 3 ad 3: *adde* IIIª 79 1 *post* XI	» »
IIIª 87 1: *adde* IIIª 87 2 III *bis*	» »
» » »: *adde* Suppl. Cai. 1 2 I	» »
» » 3: *adde* IIIª 87 2 III	» »
» » 4: *adde* IIIª 87 1 VIII; 2 III	» »
IIIª 88 3: *adde* IIIª 88 1 II	» »
Suppl. 95 5: *adde* Suppl. 96 2 co. (*corr.* L.)	134 c
Gent. I 20: *adde* Gent. I 43 XIII 2	117 b
Gent. I 38: *adde* Gent. I 39 III	117 c
Gent. II 69: *adde* Gent. II 70 IV 3	118 a
Gent. III 72, 73: *pro* 92 *lege* III 92	136 b
De Veritate I 1: *iunge semilineam* I 7 com. I 1 *cum* Gent., *et* 16 1 tit. *cum* » 2 Iª	137 c
De Veritate III 3: *ante* Gent. I 71 *pro* 3 *lege* 4	» »
De Malo II 11 2 ad 4, 6: *adde* Iª IIae 51 2 tit. (*corr.* L.)	140 a
De Malo IV 1 ad 15: *pro* 23 *lege* I 23	140 b
De Malo IV 3 ad 5: *pro* 23 *lege* I 23	» »
De Malo XI 2 ad 4, 6: *dele* (*corr.* L.), cf. II 11	140 c
Sent. II 11 1 1: *adde* Suppl. 69 2 tit. (*corr.* L.)	145 a
Sent. II 36 5 Iª IIae 18: *pro* 2, 4 *lege* 2, 3, 4 (*corr.* L.), *dele* Iª IIae 18 3 *sub* dist. 26 p. 145 c	146 a
Sent. IV 25 II 2 qª 1 ad 4: *adde* Suppl. 39 1 tit.	151 b
Sent. IV 50 II 1 qª 3 ad 1: *pro* IIIª *lege* »	125 a
Comm. in Phys. II 7 sq.: *pro* IIIª *lege* Gent. III	153 c
Comm. in De Gen. et Corr. I 18: *iunge* IIIª *cum* 8 4 III, *et* Suppl. *cum* 70 3 arg. 7, ad 7	156 b
Comm. in De Anima III 10: dele Iª 75 2 IV	157 c
Comm. in De Anima III 15: *adde* Gent. II 82 XI 2	158 b
Comm. in De Anima III 16: *ad* Iª 79 9 com. *pro* II 3, 82 XI 2 *lege* II	» »
Comm. in Metaph. II 5: *semilineam* » » » (*supra* » 5) *pone infra sub* » » IIª IIae; *iunge* Iª IIae *cum* Prolog. com., *et sic deinceps quater*	159 b
Comm. in Metaph. VII 8: *pro* Iª 52 *lege* Iª IIae 52	160 a
Comm. in De Div. Nom. VII 4: *pro* Gent. II 97 *lege* Gent. III 97	172 c
De forma absolutionis cap. 1: *adde* Suppl. 29 8 tit.	175 a

IN SECTIONE AUCTORUM ET OPERUM

Addenda fere omnia pertinent ad elenchum p. 177 b - 178 b qui in ultima laborum revisione confectus huic priori loco insertus est nondum omnibus numeris perfectus. Cf. etiam dicta p. XV a

	Pag.
Aegyptii: *adde* Iª 23 8 co.; 116 3 co.	177 c
Aeriani IIª IIae 184 6 ad 1: *adde*	» »
Albertus Magn. *Phys.* VIII 2 6 Gent. I 13 VI 2: *pro* VI lege XI	228 a
» » Sent. IV 12 1 7 qª 1: *adde* qª 2 ad 2	228 b
» » » » 19 9: *adde* IIª IIae 67 1 II	» »
» » sine ult. ind.: *adde* Iª 118 1 V	228 a
Alexander Aphrodisius, sine ult. ind.: *adde* Gent. II 80	178 c
» » *adde*: ex Averrois *Metaph.* XII 24	228 a
Alex. Hal. *Summa Theol.* III 64: *pro* 64 *lege* 74 (*corr.* L.)	250 b
Ambrosius *Expos. in Luc. Prolog.* Iª IIae 14: *pro* 14 *lege* 24	179 a
Anselmus *Monolog.* cap. 15: *adde* Iª 55 3 VI	228 c
Apollinaris: *adde* IIIª 18 1 co.; 37 1 co.	177 c
Apostolici: *adde* Gent. III 127	» »
Apuleius, ex Aug.: *adde* Iª 115 5 co.	180 a
Aristoteles *Analyt. Priora* II 29 10: *adde* IIIª 55 5 co.	251 a
» *De Soph. Elench.*: *pro* 1 2 161 *lege* 2 2 165	180 c
» *Physic.* I 2 10: *pro* II; 3 XVII; 11 II *lege* 3 XVII; IIIª 7 11 II	229 b
» » II 7 3: *pro* 2 XX *lege* 2 XXI	» »
» » III 3 8: *pro* 3 *lege* 4	229 c
» » V 5 2: *pro* 5 *lege* 6	» »
» » VI 4 Gent. III 23 V 2: *pro* 4 *lege* 6	» »
» » VII 1 3,4: *pro* 1 *lege* 2 *et pone lineam sub* 230 a 2	» »

	Pag.
Aristoteles *Physic.* VII 3 4sq. (*altera vice*): *pro* 3 *lege* 4	230 a
» » VIII: *adde* Iª 110 3 II	» »
» » » 3 4 sq.(*altera vice*): *pro* 3 *lege* 4	230 a
» *De caelo* I 5,6 3: *pro* 5,6 *lege* 6	» »
» » II 8 11: *pro* 8 11 *lege* 11	230 b
» *De anima* II 1 2 Gent. 73: *pro* 73 *lege* II 73	183 b
» » II 3 4: *dele* Iª IIae 9 1 arg. 2 (*cf. infra*)	» »
» » II 7 1: *dele* Suppl. 73 2 ad 3 (*cf. infra*)	252 c
» » III 3 4: *adde* Iª IIae 9 1 arg. 2 (*corr.* L.)	183 c
» » III 7 1: *adde* Suppl. 73 2 ad 3 (*corr.* L.)	252 c
» *De animalium historia* lege *De animalibus historiae* (cf. p. 185 a)	180 a
» *De Part. Anim.* IV 4: *pro* 4 *lege* 5	231 a
» *Metaphys.* Iª 1 3: *pro* 1 *lege* 2	231 b
» » III 1 3: *dele lineam*	» »
» » » 2 3: *pro* 3 *lege* 1	» »
» » IV 16 » : *pro* » *lege* 1	231 c
» » V » 3: *quater pro* » 3 *lege* 3	» »
» » VI 1 3 Iª 50: *pro* VI 1 3 Iª *lege* VI Iª IIae	186 b
» » VII 6 5, 6: *pro* 5,6 *lege* 5, 6, 8; *dele sequens* » 8, *et pro sequente* » » *lege* » » 8	232 a
» » XI 10 1 Iª 22 2 II: *pro* 2 II *lege* 4 II	232 c
» *Ethica Nic* I *ante* 5 3: *pro* V *lege* I	» »
» » » III 6 15: *pro* 15 *lege* 12 (*corr.* L.)	233 a
» » » » 7 »sq.: *pro* »sq. *lege* 2sq.	» »
» *De virtutibus et vitiis* adde *Politica* (cf. p. 193 b)	180 a
» *Polit.* III 2 14: *pro* 2 *lege* 5	234 a
» *De Arte rhet.* II 5 IIª IIae 123 3 1: *pro* 1 *lege* IV	» »
Arius: *adde* Iª 34 1 ad 1; IIIª 3 8 arg. 1; 10 2 ad 1; 16 8 co., 9 co.; 20 1 ad 1; 60 8 co.	177 c
Augustinus *Enarr. in Ps.* LXVIII 29: *pone hanc lineam sub sequente*	256 a
Averroes, sine ult. ind: *adde* Gent. II 80	205 a
» *Metaphys.* XII 18: *adde* Iª 90 2 II	235 c
» » » 24 Iª 105 6 III: *pro* III *lege* II	» »
Avicenna sine ult. ind.: *adde* Iª 115 1 co.	205 a
Basilius, *sermo* 64, *pone* (*corr.* L.) *post* 185 7 arg. 1	205 c
Bonosiani, IIIª 66 9 ad 3: addendum *post* Beringarius	177 c
Caietanus Iª IIae 114 1,2: *adde* IIª IIae 109 5	237 c
» IIª IIae 13 2: *pro* 13 2 *lege* 12 1 VII (*corr.* L.)	258 c
» *Suppl.* 5 3: *adde* Suppl. Cai 5 2 V	238 c
» » 10 1: *adde* Suppl. Cai. 10 2 I	» »
» *De anima* II: *adde* cap. 2 (text. 24) Iª 1 II	239 a
» » III: *adde* Iª 76 2 V	» »
» *Quolib.*: II: *iunge* 88 3 XI *cum* IIª IIae; *ante* 64 6 V *pone* IIIª	» »
» *Quolib.*: *adde De Operibus servilibus* IIª IIae 122 4 II	» »
» *adde*: *Quaestio extravag.* (?) Iª 110 3 II	» »
Cathaphrygae (*non* -giae): *adde* IIIª 66 9 ad 3	177 c
Cerinthus: *adde* IIIª 28 1 co.	» »
Concilia, *Toletanum* VII anni 684: *pro* 684 *lege* 646	208 a
» *Constantiense* anni 1414-18: *adde* IIIª 64 6 VII	240 a
Cyprianus: *pro* ib. 439 *lege* ib. 451	208 a
» *pro* ib. 519 *lege* ib. 535	» »
Cyrus Alexandrinus IIIª 18 1 co.: *adde*	177 c
Dionysius *Cael. Hier.* cap. 4: *adde* IIIª 20 1 co.	208 c
Donatistae: *adde* IIIª 66 8 co.	178 a
Ebionitae: *adde* IIIª 28 1 co.	» »
Eunomius: *adde* IIIª 10 2 ad 1; 25 6 sed c.	» »
Eutyches: *adde* IIIª 18 1 co.	» »
Eutychius: *adde* IIIª 54 3 co.	» »
Felicianus IIIª 35 2 ad 1: *adde*	» »
Gentiles: *adde* Gent. I 42; III 106	» »
Guillelmus Abbas P. L. CXXXIV: *pro* CXXXIV *lege* CLXXXIV	215 c
Helvidius III 28 3 co.: *adde*	178 a
Heraclitus: *adde* IIª IIae 156 4 arg. 1	215 c
Hieronymus *Ep.* 16 seu *Symb. expl.*: *adde* ed. Par. 1706 V	216 a
Hilarius *De Trinit.* II 29 Iª 36 4 arg. 1: *pro* 1 *lege* 7	217 a
Hippocrates: *adde* Suppl. 15 3 sed c. 1	262 b
Ioan. Chrysost. *Sermones* etc.: *dele* (cf. p. 218 a)	262 c
Ioan. Damasc. sine ult. ind.: *adde* Iª IIae 32 8 arg. 1	218 c
» » III 15 IIIª 15 2 arg. 2, ad 3: *pro* ad 3 *lege* 9 ad 3	263 a
Ioan. Grammaticus: *erronee distinctus a* Philoponus p. 246; cf. « Ioan. Grammaticus: qui dictus est Philoponus » *De caelo et mundo* I lect. 6 n. 3.	243 a
Iovinianus: *adde* IIª IIae 152 4 co.	178 a
Iudaei, Suppl. 82 4 ad 4: *pro* 82 *lege* 81	» »
Iulianus Apostata IIIª 31 3 ad 2; 50 5 co.: *adde*	178 a
Ius canonicum *Decretum Gratiani* Iª Pars: *inverte lineas, pro* XXXII 5 Nullus missam IIIª 37 2 sed c. 2; XXI 1 Cleros Suppl. 82 1 sed c.; XXV 1 Perlectis IIIª 82 9 sed c.; *lege* XXI 1 Cleros IIIª 37 2 sed c.; XXV 1 Perlectis Suppl. 82 1 sed c.; XXXII 5 Nullus missam IIIª 82 9 sed c.	220 b
» » ib. IIª Pars I 1 92 Sacrosancta: *adde* IIIª 82 5 arg. 2, ad 2	220 c
» » IIª Pars II 5 4 Si qui presb. IIª IIae 89 10 sed c.: *adde* co.	» »
» » IIª Pars XIX 2 2 Duae sunt IIª IIae 184 6 co.: *adde* 184 8 sed c.; 189 7 sed c	221 a
» » IIIª Pars *De cons.* II 55 Panis: *adde* IIIª 13 2 III	243 c
» » » » » II 69 Revera: *adde* IIIª 13 2 III	» »
» » *Decretal. Gregorii* IV 1 de sponsalibus et matrimonio: *inverte lineas, pro* » 26 Tua nos ... conseq. Suppl. 46 1 arg. 3; » » » 45 4 sed c. 1; *lege* » » » 46 1 arg. 3; » 26 Tua nos ... conseq. Suppl. 45 4 sed c. 1	221 c
» » *Liber Sextus* V reg. 13 IIª IIae 174 6 com. VI: *pro* VI *lege* V	265 c
Liturgica, *Ex missali*, sine ult. ind. *adde* Iª IIae 66 2 arg. 2	177 c
» Hymn. Nativ. Dom.: *pro* Iª IIae 38 4 co. *lege* IIIª 77 1 co.	249 b
» Canon Missae: *adde* IIIª 79 7 co., ad 2	177 c
» *adde* Missae in Nativ. Dom. IIIª 83 2 ad 2	» »
» *adde* Bened. Cerei Pasch. IIIª 1 3 ad 3	» »
» *adde* Absolutionis formae in Prima, Compl., et Coena Dom. IIIª 84 3 arg. 1	» »
» Resp. 7 Off. Def. IIIª 48: *pro* 48 *lege* 8	228 a
S. Lucia: *adde* IIª IIae 78 4 III	227 c
Macarius: *adde* IIIª 18 1 co.	178 a
Manichaei IIª IIae 148 1 co.: *pro* co. *lege* ad 1; *adde* IIª IIae 189 10 ad 1; IIIª 5 2 co.; 14 1 co.; 16 1 co., 8 ad 2; 31 2 ad 1, 2, 4 ad 2; 37 1 co.; 66 4 ad 3; Suppl. 74 1 ad 1	» »
Marcellinus Papa IIª IIae 12 1 VII; 89 7 XXII (*corr.* L.); 94 1 III: *adde*	227 c
Martinus Papa V (ex conc. Constantiensi): *adde* IIIª 64 6 VII	245 a
Naturales antiqui: *adde* Iª 14 12 ad 3; 16 1 arg. 2; 66 1 co., ad 2 in c.; 75 1 ad 1, 2; 76 4 co.; 84 2 co.; Gent. II 54, 66	178 c
Nazaraei: *adde* IIIª 74 4 co.	» »
Nestorius: *adde* IIIª 16 1 co., 3 co., 7 co.; 17 1 co.; 18 1 co.; 20 2 co.; 35 2 ad 2, 4 co., ad 1, 2	» »
Novatiani: *adde* IIIª 84 10 10	» »
Pauliani IIIª 66 9 ad 3: *adde*	» »
Peripatetici: *adde* IIª IIae 125 4 ad 3	» »
Petrus Lombardus *Sent.* II d. 22: *adde* IIª IIae 21 2 arg. 3	224 a
Philoponus: *cf. supra* Ioan. Grammaticus	
Photinus, Photiniani: *adde* IIIª 16 1 co.; 28 1 ad 1; 33 3 ad 3; 35 4 co.	178 b
Plato, sine ult. ind.: *adde* IIª IIae 145 2 ad 1; IIIª 2 5 ad 2; Gent. II 79, 81, 98	224 c
Porphyrius, ex Aug., IIª IIae 96 2 ad 2: *adde* 1 co.	225 b
Pythagoras: *adde* IIª IIae 154 8 arg. 2	» »
Scotus *Sent.* I d. 3 qu. 6 ad 3: *adde* Iª 85 4 IV	247 b
» » I d. 17 qu. ult.: *adde* Iª IIae 52 2 VI	» »
» » II d. 16 qu. 1: *adde* Iª 77 1 IV	248 a
» » II d. 29 qu. 1: *adde* Iª 95 2 III	» »
» » III d. 37: *adde* Iª IIae 100 8 I	248 b
» » IV d. 8 qu. 2 art. 2: *adde* IIIª 78 1 II I	» »
S. Sebastianus: *adde* IIª IIaee 3 2 II, III	227 c
Seneca: *inverte titulos De benif. et De clem.; cetera manent*	249 b
Sergius Constantin IIIª 18 1 co.: *adde*	178 b
Severus IIIª 19 1 co.: *adde*	» »
Stoici IIIª 46 ad 2: *pro* ad 2 *lege* 6 arg. 2, ad 2; *adde* Iª IIae 66 1 co.; 73 2 co.; IIª IIae 12 4 ad 3; IIIª 15 6 arg. 2, ad 2; Gent. III 96	» »
Theophanes: *pro* Bors. *lege* Boruss.	272 c
Valentinus: *adde* IIIª 5 2 co.; 35 3 co.; 37 1 co.: 54 3 co.	178 b
Vigilantius IIª IIae 86: *pro* 86 *lege* 186; *adde* IIIª 25 6 sed c., ad 1; Suppl. 72 1 sed c. 3; Gent. III 131	» »

SIGLORUM INTERPRETATIO

I^a	Prima Pars Summae Theologiae
I^a II^{ae}	Prima Pars Secundae Partis Summae Theologiae
II^a II^{ae}	Secunda Pars Secundae Partis Summae Theologiae
III^a	Tertia Pars Summae Theologiae
Suppl. (vel S.) .	Supplementum Tertiae Partis Summae Theologiae
App. S.	Appendix ad hoc Supplementum
Gent. (vel G.) .	Summa contra Gentiles
S. Cai.	Supplementum Caietani, cf. p. 70 et 550
S. Cai. App. . .	Appendix ad hoc Supplementum, cf. p. 70 et 550
Cai. ad Conr. . .	Responsiones Caietani ad Conradum, cf. p. 70
tit. (vel titt.) . .	locus parallelus positus infra titulum articuli (vel articulorum) Summae Theologiae
arg. 1, 2, 3 etc. .	argumentum (seu obiectio) 1um, 2um, 3um in articulis Summae Theologiae
sed c. 1, 2, 3 . .	argumentum 1um, 2um, 3um in contrarium
co.	corpus articuli
ad 1, 2, 3 etc. .	responsio ad argumentum 1, 2, 3 etc.
ad arg. in c. . .	responsio ad arg. 1, 2, 3 etc. in contrarium
cap.	capitulum
com.	commentarium, vel Caietani vel Ferrariensis
(*corr.* L.) . . .	corrige editionem Leoninam in loco indicato
(*nom.* ...) . . .	citatio facta nomine alterius auctoris
(*tit.* ...)	citatio facta titulo alterius operis
(ex ...)	citatio facta ex opere alterius auctoris
bis, *ter*	citatio vel res bis, ter occurrens
-bis, -ter . . .	citatio vel res in secunda, tertia serie numerorum occurrens
sine ult. ind. . .	citatio facta sine ulteriore indicatione operis vel fontis

INDICES

OMNIUM AUCTORITATUM

OCCURRENTIUM IN EDITIONE LEONINA

SUMMAE THEOLOGIAE ET SUMMAE CONTRA GENTILES

SANCTI THOMAE AQUINATIS

CUM ANNEXIS COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI ET FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS

Ordo Indicum Auctoritatum

SECTIO PRIMA: Auctoritates Sacrae Scripturae.

SECTIO SECUNDA: Auctoritates Sancti Thomae Aquinatis.

SECTIO TERTIA: Auctoritates omnium aliorum Auctorum et Operum.

Singulae sectiones in tres Indices subdividuntur:

INDEX PRIMUS: Auctoritates citatae ab ipso Sancto Thoma.

» » » 168 3 ad 3
XCIII 13 *Diaconos* IIIa 67 3 sed c.
» » Suppl. 45 5 ad 3
» 24 *Legimus* App. IIaIIae 188 1 arg. 3
XCV 1 *Pervenit quoque* IIIa 72 11 arg. 1

Secunda Pars

(*Dividitur in causas, causae in quaestiones, quaestiones in canones, causa XXXIII qu. 3 seu* de Poenitentia *habet specialem subdivisionem*)

I 1 3 *Presb. si eccl.* IIa IIae 100 1 sed c.
I 1 18 *Ventum est* IIIa 64 5 arg. 1
» » 36 *Neque in homine* IIIa 82 9 arg. 1
» » 45 *Vilissimus* IIa IIae 185 3 arg. 2
» » 52 *Si quis confugerit* IIIa 66 9 arg. 3
» » 59 *Si quis per ignor.* IIIa 67 5 sed c.
» » 72 *Superveniente* IIIa 82 9 sed c.
» » 77 *Intra ecclesiam* IIIa 82 5 sed c.
» » 84 *Multi saecularium* IIIa 64 3 sed c.
» » » » 82 6 arg. 1
» » » Suppl. 34 4 arg. 1
» » 97 *Quod* App. Suppl. 38 2 co. *bis*
» 3 8 *Salvator pr.* IIa IIae 100 5 sed c.
» » 14 *Altare* IIa IIae 100 1 sed c.
» » 15 *Si quis praeb.* IIa IIae 100 6 co.
» 4 12 *Turbatur* App. IIIa 80 4 ad 5 *bis*
» 7 24 *Daibertum* IIIa 64 5 arg. 1
II 1 10 *Notum sit* IIa IIae 100 1 ad 4
» 3 3 *Qui non pr.* IIa IIae 68 4 sed c.
» » » Suppl. 62 3 arg. 4
» » 7 *Euph.* App. IIa IIae 68 4 arg. 3
» 5 20 *Consuluisti* IIIa 80 6 ad 3
» » 22 *Monomach.* IIa IIae 95 8 arg. 3
» 6 28 *Anteriorum* IIa IIae 69 3 arg. 3
» » 33 *A iud.* App. IIa IIae 69 3 ad 2
» » 39 *Si autem* App. IIa IIae 69 3 arg. 3
» » 41 *Nos si inc.* IIa IIae 67 1 ad 2
» 8 2 *Sciant cuncti* Suppl. 6 4 sed c. 2
» » 3 *Quisquis ille* Suppl. 55 10 arg. 1
» » » » 62 3 arg. 5
» » 4 *Qui crimen* Suppl. 55 10 arg. 1
» » » » 62 3 arg. 5
III 5 4 *Suspectos* Suppl. 55 11 arg. 2
» » 12 *Accusat. vel testes* S. 55 11 arg. 2
» 6 16 *Neminem* IIa IIae 40 1 com. II
» 7 4 *Iudicet ille* IIa IIae 67 2 sed c.
IV 1 1 *Definimus* IIa IIae 68 1 arg. 1
» 2 et 3, 3 *Si testes omnes* S. 62 1 ad 2
» 4 1 *Nullus unquam* S. 62 3 sed c. 2
VI 1 plures canones IIa IIae 68 1 arg. 1
» » 9 *Oves* App. IIa IIae 73 4 arg. 3
» » 17 *Infames esse* IIa IIae 68 4 arg. 3
» 3 1 *Script. est* IIa IIae 60 6 com.
VIII 1 6 *Moyses* IIa IIae 185 3 co.
» » 21 *Qualis enim* Suppl. 36 1 sed c. 2
» » 3 *Per ill.* App. S. 38 2 co.
» » 5 *Ordinat.* IIa IIae 39 3 arg. 3
XI 3 1 *Sententia pastoris* S. 21 4 sed c.
» » 3 *Praecipue* sq. Suppl. 23 2 co.
» » 17 *Excommunicatos* S. 21 1 co.
» » » » 23 2 co.
» » 21 *Audi denique* Suppl. 21 2 co.
» » 24 *Ad mensam* IIa IIae 10 9 arg. 1
» » 41 *Nemo episcop.* S. 21 3 co.
» » » » 49 6 arg. 4
» » 43 *Certum est prohis* S. 21 3 co.
» » 80 *Quisquis* IIa IIae 70 1 sed c.
» » 94 *Iulianus* IIa IIae 12 2 arg. 1
» » 103 *Quoniam multos* S. 23 1 co. *ter*; 2 ad 2
XII 2 67 *Ecclesiasticis* IIaIIae 100 5 arg. 1
» » 70 *Aurum eccl.* IIa IIae 185 7 ad 3
XIII 2 22 *Animae defunct.* S. 71 11 sed c.2, co.
XIV 6 1 *Si res aliena* IIaIIae 62 2 sed c.
» » » Suppl. 46 2 arg. 4
XV 1 7 *Sane discimus* IIaIIae 150 2 co.
» 6 4 *Nos sanctor.* IIa IIae 12 2 sed c.
XVI 1 24 *Ex auctoritate* S. 8 4 arg. 1

LIBER SEXTUS DECRETALIUM BONIFACII VIII

(*Dividitur in libros, libri in titulos, tituli in capita*)

Ex Ponto Epistolae
IV ep. 10 v. 5 IIa IIae 150 2 com. XII

PACHYMERES

Paraph. in Dion. De eccl. Hier. P. Gr. III 369
Cap. 3 p. 3 § 2 IIIa 81 2 co.

(Radbertus) PASCHASIUS ABB.

De corpore et sanguine Domini
Cap. 14 IIIa 76 8 co. *bis*

PETAVIUS

Theologia dogmatica
Tom. III cap. 2 Gent. II 90

PETRUS DE BERGAMO

Concordantiae dictorum et conclusionum Divi Thomae de Aquino

Dub.
1 IIa IIae 152 4 ad 1; 5 co. - 186 4 ad 2
2 IIa IIae 111 1 ad 1
3 IIa IIae 154 2 ad 3
4 Ia IIae 94 5 ad 2 - 100 8 ad 3 - IIa IIae 64 6 ad 1 - 104 4 ad 2 - 154 2 ad 2
5 IIa IIae 100 4 ad 1, 3
9 Ia 85 1 co. - IIIa 61 2 co.
10 Ia 12 11 ad 2 - Ia IIae 98 3 ad 2 - IIa IIae 175 4 co.; 5 co. - 180 5 co.
12 IIIa 2 6 ad 2
13 Ia 3 5 ad 2 - Ia IIae 19 4 ad 2
15 IIIa 77 1 co.
16 IIIa 77 8 ad 1
17 Ia 29 1 co - 39 3 co.
18 Ia 36 4 ad 7
19 Ia 12 10 co. - 85 4 ad 2 - Ia IIae 63 4 ad 3
21 Ia 77 6 co., ad 3
22 IIIa 77 8 co.
23 IIIa 77 4 ad 3; 5 co.
24 Ia 77 1 ad 5
27 IIIa 77 4 ad 3
29 Ia 39 6 ad 2
34 Ia 28 3 ad 1 - 45 2 ad 2 - Ia IIae 90 3 co.
39 Ia 41 1 ad 2 - 45 3 co.
40 Ia 36 4 ad 7
45 Ia 87 3 ad 3
46 IIa IIae 25 1 co.
48 Ia IIae 23 1 co. - 54 1 ad 1
49 Ia IIae 56 2 ad 1
50 Ia 62 7 ad 3 - Ia IIae 54 1 ad 3 - IIa IIae 18 1 ad 3
51 Ia 77 1 co.
52 Ia 77 3 ad 1 - 82 3 ad 2
53 Ia 25 1 ad 2
55 Ia 25 1 ad 1
56 Ia IIae 84 1 co.; 2 co. - IIa IIae 119 2 ad 1
57 IIa IIae 28 4 co. - IIIa 8 5 ad 2
59 Ia 89 6 ad 3 - Ia IIae 51 4 ad 3 - 78 2 ad 2
60 Ia IIae 71 3 co.
61 Ia IIae 1 3 co.
62 Ia IIae 55 4 ad 1
63 Ia IIae 20 6 co. - 88 4 co.
65 IIIa 77 3 co.
66 Ia 94 1 co.
67 IIa IIae 2 7 co. - IIIa 1 3 ad 5
68 Ia 95 3 co. - IIa IIae 5 1 co.
69 Ia 94 3 ad 1
70 Ia 94 2 co. - 101 1 co.
71 Ia 94 1 ad 3
72 Ia 94 3 co.
73 Ia 95 3 co. - IIa IIae 5 1 co.
74 Ia 94 3 ad 3 - 95 4 ad 1 - Ia IIae 109 2 co.; 5 co. - 114 2 co. - IIIa 61 2 ad 1
75 Ia IIae 72 5 co. - 89 3 co.
76 Ia IIae 109 8 co.
77 Ia 100 2 co.
78 Ia IIae 81 5 ad 2
79 Ia 11 1 co.
80 Ia 42 1 ad 3
82 IIa IIae 88 11 ad 1 - 90 3 co.
83 IIa IIae 103 4 ad 3
84 Ia IIae 72 2 ad 4 - 73 5 ad 1; 7 co. - 88 5 co. - 100 6 co. - IIa IIae 65 4 ad 3 - 118 5 sed c. - 154 1 co., ad 2; 8 co.

Dub.
85 IIa IIae 154 2 ad 6; 8 ad 2
86 Ia 67 3 co.
87 IIa IIae 23 3 ad 1 - 114 1 ad 1
88 Ia 77 3 ad 1 - IIa IIae 122 2 ad 1
91 IIa IIae 2 3 co.
92 Ia IIae 109 1 co.; 3 ad 2 - 112 1 co. - 114 2 co. - IIIa 77 3 ad 3
94 IIa IIae 77 2 ad 1
95 IIa IIae 23 3 ad 1 - 114 1 ad 1
96 Ia 20 2 ad 4 - 23 3 ad 1
97 Ia IIae 109 3 co.; 4 co.; 8 co.
98 IIa IIae 27 3 co.
99 IIa IIae 25 8 co.
100,101 IIaIIae 26 13 co.
102 Ia IIae 23 4 co. - 26 1 co.; 2 co.
103 Ia 87 3 ad 2
105 Ia 20 1 ad 3 - Ia IIae 25 2 ad 2 - 26 2 ad 2 - 28 1 co.
106 Ia IIae 27 2 co. - IIa IIae 26 2 ad 1
107 Ia 13 6 co. - 33 2 ad 4
108 Ia 16 6 co. - Ia IIae 20 3 ad 3
110 Ia 13 6 co.
111 Ia 61 3 co.
112 Ia 7 2 co. - 50 2 ad 4 - 52 2 co.
113 Ia 50 2 ad 3 - 61 1 co. - 77 1 co.
114 Ia 3 3 co. - IIIa 17 1 co.
115 Ia 25 6 co. - 50 4 co.
116 Ia 50 2 ad 1 - 56 2 ad 1
117 Ia 51 2 ad 2, 3
118 Ia 53 2 co.; 3 co. - Ia IIae 113 7 ad 5
119, 120 Ia 53 1 ad 1; 3 ad 3
121, 125 Ia 62 6 co. - 63 8 ad 3
122 Ia 10 5 co. - 50 5 co. - 61 2 ad 3 - 75 6 co.
123 Ia IIae 80 3 ad 1
126 Ia 54 4 ad 2
127 Ia 65 3 co.
128 Ia IIae 113 7 ad 5
129 Ia 10 5 ad 1 - 12 10 ad 2
133 Ia 55 3 co. - 89 1 co. - 108 1 co.
134 Ia 50 1 ad 2 - [illegible] 4 co.
135 Ia 58 1 co. - 62 1 co. - Ia IIae 50 6 co.
136 Ia 54 5 co. - 79 1 ad 3
137 Ia 54 4 co.
138 Ia 87 3 co., ad 2
140 Ia 12 10 ad 2 - 58 6 co.
141 Ia 58 6 co.
142 Ia 12 9 co. - 58 3 co.; 4 co. - 62 1 co.; 5 co. - 63 5 co. - 85 5 co. - Ia IIae 89 4 co. - IIa IIae 49 5 ad 2 - 180 6 ad 2 - IIIa 11 3 ad 3
143 Ia 12 4 co. - 64 1 ad 2
146 Ia 54 4 co.
147 Ia 54 4 ad 2 - 106 1 co.
149 Ia 62 3 co. - 63 1 co. - Ia IIae 89 4 co.
150 Ia 63 2 co.
151 Ia 64 2 co. - Ia IIae 80 4 ad 3 - IIIa 4 1 ad 3 - 6 2 ad 2 - 46 1 ad 4 - 86 1 co.
152 IIIa 13 2 co., ad 2
153 Ia 62 2 ad 3 - 63 1 ad 3
154 Ia 62 4 co.
155 Ia 63 5 ad 3 - IIIa 34 3 ad 1
157 Ia 62 9 ad 3
159 Ia 62 9 co.
160 Ia 62 5 co. - 63 6 co. - Ia IIae 5 1 ad 1
163 Ia 113 2 co.
164 Ia 113 5 co.
165 Ia 113 5 ad 3
166 Ia 113 4 ad 1
167 Ia IIae 49 4 co. - 50 6 co. - 51 1 co.
168 Ia 50 2 ad 3 - 77 1 co.
170 Ia 76 8 co. - IIIa 46 7 co.
171 Ia 76 1 co.
173 Ia 75 4 ad 2; 7 ad 3
174 Ia 75 4 ad 2; 7 ad 3 - Ia IIae 4 5 ad 2
175 Ia 85 7 co. - IIIa 55 1 ad 3
178 Ia 118 2 co. - Ia IIae 3 7 ad 2 - 9 6 co. - IIa IIae 85 2 co.
179, 180 Ia 76 6 co.
181 IIIa 55 3 ad 2
183 Ia 77 8 co.
184 Ia 77 8 co. - Ia IIae 67 1 ad 3
185 Ia 75 6 ad 3 - 89 1 co. - Ia IIae 5 1 ad 2 - 67 2 ad 1 - IIIa 11 2 co.
186 IIIa 11 3 ad 3
188 Ia 85 1 co.
190 Ia 84 7 co. - Ia IIae 5 1 ad 2 - - IIa IIae 174 2 ad 4 - 175 4 co. - 180 5 ad 2 - IIIa 11 1 ad 2; 2 co.
191 Ia 12 11 ad 3 - 16 6 ad 1

Dub.
192 Ia 12 11 ad 3 - 84 5 co. - 88 3 ad 1
193 Ia 12 11 ad 3 - 84 5 co.
195 IIIa 15 4 co.
196 Ia IIae 10 1 co. - 17 9 ad 2 - 41 3 co.
197 Ia IIae 110 4 co.
198, 199 IaIIae 12 3 co. - 37 1 co. - 77 1 co.
199 IIIa 46 7 co.
200 Ia 41 5 ad 1
201 Ia 77 1 ad 5 - Ia IIae 83 2 ad 3 - 110 4 ad 3
202 Ia 25 6 co. - IIa IIae 24 7 co.
204 Ia 79 3 ad 1
205 Ia IIae 54 1 co. - 63 4 co. - IIa IIae 47 5 co.
206 Ia IIae 56 4 co.; 5 ad 1; 6 co., ad 2
210 Ia 78 1 co.
212 Ia 13 10 ad 4
213 Ia 71 1 ad 1 - 91 2 ad 2
214 Ia 71 1 ad 1
215 Ia 76 3 co.
219 IIIa 13 2 co.
221 Ia IIae 17 8 co. - 26 1 co. - 40 3 co.
222 Ia 16 1 co. - 19 3 ad 6; 6 ad 2 - 80 2 ad 2 - Ia IIae 22 2 co. - 40 2 co. - 66 6 ad 1 - IIa IIae 26 1 ad 2 - 27 4 co.
223 Ia 60 1 co. - 80 2 ad 1
225 Ia 59 1 co. - 60 1 co. - 80 1 co. - Ia IIae 8 1 co. - 17 8 co. - 26 1 co.
226 Ia IIae 9 1 ad 2
227 Ia 80 2 co.
228 Ia 59 4 co. - 80 2 co., ad 1 - IIa IIae 24 1 co.
229 Ia 80 2 ad 2 - Ia IIae 13 2 co. - 19 3 co. - 29 6 co. - IIa IIae 24 1 co.
230 Ia 80 2 co. - IIa IIae 24 1 co.
231 Ia IIae 24 1 ad 2 - 56 6 ad 2 - 59 4 ad 2 - 61 2 co. - IIa IIae 58 4 ad 3 - IIIa 18 2 co.
232 Ia IIae 19 7 ad 2
233 Ia 39 8 co.
234 Ia 4 3 ad 4
235 IIIa 66 4 ad 3 - 74 7 ad 3
236 Ia 46 1 co.
237 Ia 22 2 co. - Ia IIae 57 4 co. - 93 1 co. - IIa IIae 47 5 co.
238 Ia IIae 57 3 ad 3
240 IIa IIae 77 2 ad 1 - IIIa 66 4 co. - 75 6 ad 1
241 Ia 117 1 co. - IIIa 32 4 co.
242 IIa IIae 100 3 ad 3
243 IIIa 57 4 co.; 5 co.
244 IIIa 55 3 ad 2
246 Ia 4 3 ad 4
248 IIIa 4 1 ad 3
249 IIIa 3 7 ad 2
250 IIIa 2 6 co.
251 IIa IIae 9 2 ad 3
252 Ia IIae 3 7 ad 3
254 Ia IIae 84 1 co.; 3 co.; 4 ad 4 - IIa IIae 119 2 ad 1
255 IIa IIae 123 3 co. - 126 2 ad 3 - 127 2 co. - 141 3 co.
256, 257 IaIIae 25 3 co. - 45 2 ad 2
258 Ia IIae 25 3 co.; 4 ad 2 - 45 4 ad 3
259 Ia IIae 72 5 co. - IIIa 86 4 co.; 5 co.
261 Ia 119 1 co.
263 IIIa 38 1 ad 1
265 IIIa 66 9 ad 4 - 68 7 ad 2; 11 ad 4
267 IIa IIae 33 5 co. - 60 2 ad 3 - 64 6 ad 3
269 Ia IIae 5 7 ad 2 - 113 3 ad 1 - IIIa 65 4 sed c. - 68 2 ad 2
270 Ia IIae 3 2 co.; 4 co.; 5 co. - 55 2 ad 2
271 Ia 26 2 co.; 3 co. - Ia IIae 11 1 ad 1; 4 co.
273 Ia IIae 3 6 co. - IIa IIae 167 1 ad 1 - 180 4 co.
274 Ia 64 1 ad 1 - 89 2 ad 3 - Ia IIae 3 7 co. - IIa IIae 167 1 ad 1
275 Ia IIae 4 5 ad 5
277 Ia 12 8 co., ad 4 - IIa IIae 173 1 co.
280 Ia 62 9 ad 3 - IIa IIae 83 11 co.
281, 283 Ia 62 9 ad 3
284 Ia 6 4 co. - Ia IIae 55 4 ad 1 - IIa IIae 23 2 ad 1 - 27 3 co.
285 Ia 14 1 ad 3 - 65 1 ad 2 - Ia IIae 2 7 co.; 8 co. - 9 6 co.
286 Ia 13 4 co.
287 Ia IIae 3 1 ad 2
291 Ia 11 2 ad 1 - 17 4 ad 2 - 48 3 co. - 49 1 co. - 103 7 ad 1
292 Ia IIae 73 4 co.
293 Ia 6 3 co. - 103 2 co. - Ia IIae 2 8 co. - 9 6 co.
294 Ia 25 6 co.

Dub.
642 Iª 45 8 co. - 65 4 co. - Iª IIae 63 1 co.
644 Iª IIae 27 3 co. - IIIª 32 4 co.
645 Iª 80 1 co.
646 Iª 61 1 ad 2 - Iª IIae 55 4 ad 1
647 Iª IIae 113 7 ad 5
648 Iª 50 4 ad 2 - Iª IIae 18 11 ad 1 - 60 5 ad 3 - 72 8 ad 1
650 Iª 76 3 co.; 4 co.
651 Iª 77 1 ad 3
652 Iª 59 4 ad 3 - IIª IIae 186 1 co.
653 IIª IIae 58 12 co.
654 IIª IIae 161 5 ad 2
656 Iª 26 2 co. - Iª IIae 3 4 co. - 11 1 ad 1; 4 co.
657 IIª IIae 4 7 co. - 161 5 ad 2 - IIIª 84 6 ad 2
660 Iª IIae 27 3 co. - IIIª 32 4 co.
661 IIIª 31 5 arg. 3 - 32 4 co. - 35 3 arg. 3 - 67 4 ad 3
664 Iª 98 2 co.
666 Iª 39 5 ad 5
667 Iª 12 11 co.
668 Iª 12 7 co.
670 Iª 85 3 ad 4
671 Iª IIae 18 2 co.
673 Iª 3 5 co. - Iª IIae 72 6 ad 3
674 Iª 75 2 ad 1
675 Iª 3 5 co.
676 Iª IIae 51 4 ad 3 - 54 4 ad 3 - 65 1 co.
677 Iª IIae 60 3 co. - 110 3 co.; 4 co. - IIª IIae 106 1 co. - IIIª 7 2 co. - 62 2 co. - 89 1 co.
678 Iª IIae 112 2 co.; 3 co., ad 2; 4 co. - 113 3 co., 7 co. - IIª IIae 24 10 ad 3
679 Iª IIae 109 9 co. - IIª IIae 129 6 ad 1
680 Iª IIae 76 2 ad 2 - 109 7 co. - 112 1 co.; 3 ad 2 - IIIª 13 2 co. - 62 1 co.; 5 co. - 64 1 co.
683 IIIª 62 4 ad 3 - 66 2 co.
684 IIIª 62 6 ad 3 - 70 4 co.
685 Iª 62 2 co. - Iª IIae 109 6 co.
686, 687 Iª IIae 109 8 co.
688 Iª IIae 63 2 ad 2 - 109 8 co.
689 Iª IIae 63 2 ad 2
690 Iª IIae 36 2 co. - IIIª 32 4 co.
691 IIIª 32 4 co.
692 Iª IIae 49 4 ad 3 - 54 3 co. - 55 4 co.
693 Iª IIae 54 1 ad 1; 2 co.; 3 co. - 60 1 co. - 63 4 co.
695 Iª IIae 56 2 co. - 60 4 co.
696 Iª 1 1 ad 2 - Iª IIae 54 1 ad 1
697 Iª IIae 51 4 ad 3
698 Iª IIae 49 3 co.
699 Iª IIae 49 4 co. - 52 2 co. - 53 2 ad 1 - 54 4 co.
700 Iª IIae 53 1 ad 3
701 Iª IIae 50 3 ad 3
702 a Iª IIae 57 2 ad 2
702 b Iª 31 2 co.
703 Iª IIae 102 3 ad 1 - IIª IIae 10 6 co. - 94 3 ad 4
705 Iª 61 2 co.
706 IIIª 2 3 co.; 6 co. - 4 3 co.
707 Iª IIae 1 8 co. - 38 ad 2 - IIª IIae 39 2 ad 2
709 Iª 4 2 co.
710 Iª 26 4 co. - Iª IIae 2 2 ad 1 - IIª IIae 103 1 ad 2 - 129 1 co. - 131 1 ad 2
711 IIª IIae 161 5 co.
712 a Iª 12 11 ad 1 - IIª IIae 180 5 ad 1
713 Iª 14 16 co. - 15 3 ad 1 - 18 4 ad 4
714 IIª IIae 92 2 ad 1
716 Iª IIae 102 3 ad 11 - IIª IIae 10 6 co. - 94 3 co.
717 IIIª 80 6 ad 2 *bis*
718 Iª 63 1 ad 4 - Iª IIae 76 4 ad 1 - 78 4 ad 1
719 Iª 53 3 co., ad 2
720 IIª IIae 81 3 ad 3 - 103 3 ad 3 - IIIª 8 3 ad 3 - 25 3 co.
721 Iª 79 7 ad 1
722 Iª 93 7 co.
723 Iª 62 3 ad 2 - 63 1 co. - Iª IIae 106 2 ad 2 - IIª IIae 24 11 co.
724 Iª IIae 11 2 co. - 17 2 co.
725 Iª IIae 17 5 co.
726 IIª IIae 53 6 ad 1 - IIª IIae 150 4 ad 3 - 156 4 co.
727 Iª 2 1 co.
728 Iª 29 4 co. - IIIª 16 12 ad 2 - 77 2 co.
729 Iª 29 1 ad 2 - IIIª 16 12 ad 2
730 Iª 30 4 co.
731 Iª 3 2 ad 3; 3 co. - Iª IIae 63 1 co.

Dub.
732 Iª 3 3 co. - 7 3 ad 3 - 65 2 co.
736 Iª 7 2 co. - 10 5 ad 4 - 45 5 ad 3 - 50 2 ad 4 - 86 2 co.
738 Iª 98 2 ad 4 - Iª IIae 34 1 ad 1
739 Iª IIae 34 1 ad 1
740 Iª 101 1 co. - IIIª 61 2 co.
741 Iª 53 3 co., ad 3 - IIIª 33 1 arg. 3 - 75 7 arg. 1, ad 1
742 Iª 10 1 ad 2
744 Iª 53 3 co. - Iª IIae 113 7 ad 5 - IIIª 33 1 ad 3 - 75 7 ad 1
745 Iª IIae 8 3 ad 2 - 12 4 co.
746 Iª 63 5 co. - Iª IIae 113 7 co. - IIIª 34 2 co.
747 Iª 14 9 co.
749 Iª 54 3 co. - 79 1 co.
750 Iª 79 2 co.
752 Iª 5 2 co. - 12 4 co.; 11 co. - 17 3 ad 1 - 18 2 co. - 54 2 co. - 55 1 co. - 57 1 ad 2 - 79 7 co. - 82 4 ad 1 - 84 7 co. - 85 1 co.; 3 ad 4; 5 co.; 6 co.; 8 co. - 86 2 co. - 87 2 ad 2; 3 co., ad 1 - 105 4 co. - Iª IIae 2 8 co. - 3 5 co.; 7 co.; 8 co. - 5 1 ad 1 - 9 1 co. - 10 1 ad 3 - 31 5 co. - 50 4 ad 1 - 60 1 ad 1 - IIª IIae 4 1 co. - 8 1 co. - 25 2 co. - 58 5 ad 2 - IIIª 10 3 ad 2 - 11 2 ad 1 - 75 5 ad 2 - 76 7 co.
753 Iª 86 1 co. - IIª IIae 47 3 ad 1
754 Iª IIae 8 3 ad 2 - 12 4 co.
755 Iª 14 2 ad 2 - 79 2 co.
757 Iª IIae 9 3 co.
758 Iª 85 2 ad 3 - IIª IIae 83 1 arg. 3
760 Iª 85 1 ad 1
761 Iª 12 1 co.
762 Iª 55 1 ad 2
764 Iª 94 3 ad 1 - Iª IIae 54 4 co.
765 Iª 12 10 co. - 58 2 ad 2 - 85 4 co.
766 Iª 80 2 ad 2
767 Iª 107 4 co.
768 Iª 79 8 co.
769 Iª 59 2 co.
770 Iª 82 3 ad 2 - Iª IIae 13 1 co.
771 Iª IIae 17 5 co.
772 Iª 82 4 ad 3
773 Iª 27 4 co.
775 Iª IIae 56 2 co. - Iª IIae 60 5 co.
776 Iª 54 5 sol.
780 Iª 79 11 ad 1
782 Iª 104 3 ad 1 - Iª IIae 19 7 ad 2
783 Iª 15 1 co.
784 Iª 19 9 co. - 48 1 ad 4 - Iª IIae 19 7 ad 2 - 72 1 co. - 78 1 ad 2
785 Iª IIae 72 1 co.; 8 co. - IIIª 88 4 co.
786 Iª IIae 5 1 ad 1
787 Iª 67 3 co.
788 Iª IIae 96 6 co. - 97 4 co. - IIª IIae 120 1 ad 3
789 Iª IIae 77 7 co. - IIª IIae 53 6 ad 1 - 156 4 ad 2
790 Iª IIae 46 2 co.; 6 co.
791 Iª IIae 20 4 co.
792 IIª IIae 33 5 co. - 64 2 co.; 3 co.
793 IIª IIae 64 5 ad 2 - 67 4 co.
795 IIª IIae 67 4 co.
796 IIª IIae 33 5 co. - 60 2 ad 3
797 Iª IIae 96 6 co. - IIª IIae 120 1 ad 2
798 Iª IIae 93 3 ad 3 - 96 2 co. - IIª IIae 10 11 co. - 108 4 ad 2
799 IIª IIae 88 11 co. - 89 9 ad 3 - 98 3 ad 1 - 186 8 ad 3
800 IIª IIae 33 5 co. - 98 4 co.
802 Iª 21 1 ad 3 - Iª IIae 100 8 ad 2 - IIª IIae 104 4 ad 2
803 Iª 4 3 ad 4 - Iª IIae 114 1 co. - IIª IIae 57 4 co. - 58 7 ad 3 - IIIª 85 3 co.
804 IIIª 62 6 ad 3 - 70 4 co.
805 Iª 23 7 co.
806 b Iª 49 2 co. - IIª IIae 91 1 ad 1
808 Iª IIae 91 2 co. - 96 2 ad 3 - 97 1 ad 1
809 Iª IIae 100 8 co.
810 Iª IIae 98 1 co. - 99 2 ad 3
811 Iª IIae 19 4 co. - 90 1 co.; 3 co. - 95 3 co. - 96 5 co.
812 a Iª IIae 99 3 co.
812 b IIIª 45 3 ad 2
815 Iª 21 1 ad 1 - Iª IIae 60 5 co. - IIª IIae 134 4 ad 1
816 Iª 83 3 co.
818 Iª 63 1 ad 4 - Iª IIae 19 7 ad 2
819 Iª 62 3 ad 2 - Iª IIae 106 2 ad 2
821 Iª 53 2 co.
822 Iª 2 1 co. - 8 2 ad 1

Dub.
826 Iª 67 3 co.
827 IIIª 9 1 ad 2
828 a Iª 56 3 co.
828 b Iª 67 3 ad 3
829 Iª 87 3 ad 2 - Iª IIae 8 3 ad 2 - 12 4 co.
830 Iª 66 3 ad 2
831 Iª IIae 87 6 co.
832 IIª IIae 64 5 ad 3
833 Iª 21 1 ad 1 - Iª IIae 60 5 co. - IIª IIae 134 4 co.
834 Iª IIae 78 1 ad 3
835 Iª 48 1 ad 5; 2 co.
836 Iª 48 1 ad 5
837 Iª 49 3 co. - 103 7 ad 1 - IIª IIae 172 6 co.
838 Iª 49 1 co.
839 Iª 49 3 ad 5 - 63 9 co. - Iª IIae 71 2 ad 3
840 Iª 48 6 co. - Iª IIae 79 1 ad 4
842 Iª IIae 71 2 co.; 6 co.
843 IIIª 27 1 co.; 2 ad 2; 6 co.
844 IIIª 25 5 co. - 35 4 co.
845 IIIª 27 1 co.; 2 ad 2
846 IIª IIae 124 5 co.
848 Iª 31 2 ad 4
850 Iª 4 3 ad 4
851 IIIª 32 4 co.
852 Iª 7 3 ad 3 - 65 2 co. - IIIª 90 1 co.
853 Iª IIae 55 4 co.
854 Iª 7 2 ad 3
858 Iª IIae 34 1 ad 1 - IIª IIae 153 2 co.
864 IIIª 26 1 co.
865 Iª 79 6 ad 2
866 Iª 79 7 co. - 93 7 ad 3
867 IIª IIae 110 1 co.
868 IIIª 31 5 co., ad 3; 6 ad 3 - 32 4 co. - 35 3 ad 3
869 Iª 66 4 ad 5
870 Iª 3 5 ad 2 - Iª IIae 19 4 ad 2
871 Iª 10 6 ad 2
872 Iª IIae 64 3 co. - 91 3 ad 2
873 Iª IIae 93 1 ad 3
874 IIª IIae 110 1 co.
879 Iª IIae 55 1 ad 3
880, 884 Iª 62 4 co.
881 Iª IIae 114 8 ad 3
882 Iª IIae 114 4 ad 3 - IIª IIae 2 9 ad 1 - 83 13 co.; 15 co. - 124 2 ad 2 - 132 3 ad 1 - 182 2 co.
883 Iª IIae 114 3 co.
887 Iª 62 4 co.; 5 ad 2 - IIIª 19 3 co.
888 Iª IIae 114 7 co.
889 a Iª IIae 114 1 co.
889 b IIª IIae 13 4 ad 2 - IIª IIae 182 2 ad 2 - IIIª 19 3 ad 1
892 IIIª 64 6 co.
894 IIª IIae 178 1 co.
895 IIª IIae 96 4 ad 3 - 178 1 ad 1
896 Iª 104 3 co. - IIIª 13 2 co.
897 Iª 94 1 co. - Iª IIae 19 7 ad 2
898 IIª IIae 30 4 co. - 161 5 co.
901 Iª 43 8 co.
902 Iª 43 6 ad 2
903 IIª IIae 160 2 co. - 168 1 co.
904 IIIª 14 2 co. - 50 1 co. - 53 1 co.
905 IIIª 14 2 ad 1
906 IIIª 50 4 co.; 5 sed c.
909 Iª 75 1 ad 1
910 Iª 12 5 co. - IIª IIae 157 4 arg. 1
912 Iª 46 1 co.
916 Iª IIae 109 3 ad 2
917 IIIª 44 2 ad 1
918 Iª IIae 84 1 ad 3 - 96 1 ad 3; 6 co. - 102 6 ad 5 - IIª IIae 57 2 ad 1 - 154 2 co.
919, 921 Iª 82 1 co.
922 Iª 22 4 ad 3
923 Iª 79 9 ad 3
924 IIª IIae 54 1 co.
925 a Iª 14 15 ad 2
925 b Iª 5 1 ad 1
926 IIª IIae 92 1 ad 2
927 Iª 36 4 ad 7 - 39 3 co. - III 3 7 ad 2
928 Iª 39 4 ad 3; 6 ad 1 - IIIª 16 1 co.
929 Iª 22 3 ad 3 - IIª IIae 167 1 co.
931 Iª 32 3 ad 5 - 35 2 co.
933 Iª 2 1 ad 1, 3
934 Iª 31 2 ad 2
936 IIª IIae 104 3 co.
937 Iª IIae 102 3 ad 7 - IIª IIae 32 7 ad 2 - 86 3 ad 1
938 IIª IIae 86 1 ad 3
940 IIª IIae 33 5 co.
942 Iª IIae 71 5 co.
944 IIª IIae 178 1 ad 1 - IIIª 13 1 co.

PETRUS COMESTOR

PETRUS LOMBARDUS

Appendix

Auctoritates citatae in praefationibus Tomorum Editionis Leoninae ad illustranda dubia exorta

Numeri romani maiores Tomum, minores paginam indicant editionis leoninae. Tomus XII habet duas praefationes, unam in Quaestiones 60-90 Tertiae Partis, alteram in Supplementum; haec infra notatur siglo in S.

INDEX GENERALIS AUCTORITATUM

OMNIUM INDICUM ARGUMENTUM SUMMIS TITULIS DESCRIBENS

In hoc indice non assumptae sunt auctoritates citatae in praefationibus et appendicibus tomorum editionis leoninae; habentur istae supra in appendicibus pagg. 69, 107, 175, 226, 273.

Recolendum: Index I exhibet auctoritates citatas ab ipso S. Thoma; index II auctoritates citatas a commentatoribus Caietano et Ferrariensi; index III auctoritates citatas ab editoribus leoninis.

Nomina quae iam ordine alphabetico disposita habentur in indice I pag. 177 sub titulo Haeretici, Sectae, Scholae *non referuntur in hoc indice generali nisi quando idem nomen etiam separatim occurrat in indice II vel III.*

AUCTORITATES SACRAE SCRIPTURAE

AUCTORITATES SANCTI THOMAE

AUCTORITATES AUCTORUM ET OPERUM

CORRIGENDA ET ADDENDA

Pag.

12 col. 3 sub cap. XXIV: *dele* »
32 col. 3 sub Osee: Prophetiae *lege* Prophetia
71 col. 3 lin. 21: Ecclesiastes *lege* Ecclesiastis
80 col. 1 lin. 72: » » 55 1 sed c. 2 *lege* » Suppl. 55 1 sed c. 2
88 col. 3 lin. 52: » 11 I^a 81 2 ad 2 *lege* » 4 I^a 81 2 ad 2 (*corr.* L.)
108 col. 1 in tit.: Theologica *lege* Theologiae
160 col. 1 lin. 84: » » » 52 2 co. *lege* » » I^a II^{ae} 52 2 co.
177 col. 3 sub Ex Missali: *adde* sine ult. ind. I^a II^{ae} 66 2 arg. 2
» » » Aegyptiis: *adde* I^a 116 3 co.
178 col. 2 sub Stoicis: *adde* I^a II^{ae} 66 1 co.
180 col. 1 sub Apuleio: *adde* I^a 115 5 co. (ex Aug.)
205 col. 1 sub Avicenna: *adde* I^a 115 1 co.
208 col. 2 sub Democrito: *adde* I^a 115 1 co., ad 3, 5
» » sub Cypriano: ib. 439 *lege* ib. 451
» » » » ib. 519 *lege* ib. 535
218 col. 3 sub Ioann. Dam.: *adde* I^a II^{ae} 32 8 arg. 1
223 col. 2 in tit.: Origines *lege* Origenes

Index Indicum Auctoritatum

INDICES

RERUM NOTABILIUM

OCCURRENTIUM IN EDITIONE LEONINA

SUMMAE THEOLOGIAE ET SUMMAE CONTRA GENTILES

SANCTI THOMAE AQUINATIS

CUM ANNEXIS COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI ET FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS

Ordo Indicum Rerum

SECTIO PRIMA: Index rerum in textum Sancti Thomae.

SECTIO SECUNDA: Index rerum in commentaria Caietani et Ferrariensis.

SECTIO TERTIA: Index rerum in praefationes Editorum.

Sectio Prima subdividitur in duos indices:

INDEX PRIMUS: Index capitum doctrinae, seu materiarum, de quibus S. Thomas per totam quaestionem aut articulum aut caput tractat ex professo. Hunc introducit conspectus schematicus compositionis totius Summae Theologiae et Summae contra Gentiles.

INDEX SECUNDUS: Index elementorum doctrinae, seu rerum notabilium de quibus S. Thomas transeunter vel per obiter dicta tractat.

Indicum seriem et Tomum XVI absolvunt:

Index supplendorum et erratorum.
Index generalis totius Tomi XVI.

INDICES RERUM IN TEXTUM SANCTI THOMAE

PRAEFATIO

DE NECESSITATE ET RATIONE DUPLICIS INDICIS RERUM

Rerum notabilium collectio, apud nos novo labore incepta iam abhinc annos prope quadraginta, pluries deinceps interrupta et novis curis subiecta, immensam tandem ex utraque Summa nobis attulit notularum copiam. Hanc per duos indices distinctos distribuendam esse censuimus, contra pristinam conceptam laborum rationem. Plures ad hoc nos induxerunt rationes. Una est ipsa notularum abundantia: quae nisi scite comprimeretur necessariam indicis extensionem in alterum tomum separatum secum afferret, gravi sane et perpetuo studiosorum inquirentium incommodo. Alia ratio est diversitas finis et modi quibus indices Operum S. Thomae tam frequenter a permultis inspici videmus: alii enim ex eis imprimis doceri desiderant an et quibus locis expressius tractata inveniatur haec illave doctrina determinata, alii eos potius pervolvunt ut ex diversis locis collectas inveniant omnes sententias, dictiones, immo singula verba, etiam transeunter dicta de uno eodemque subiecto, quae ad invicem conferre, minutatim ponderare intendunt. Tertia aliisque forte urgentior ratio duplicis indicis rerum inde habetur quod vix alio modo satisfieri potuisse videtur constanti desiderio componendi omnia studia nostra leonina methodo ut aiunt obiectiva, id est maxima quam quaeque res permittat independentia ab individualibus mutabilibusque conceptibus et dispositionibus singulorum collaboratorum.

Haec tria, et alia quae hic praeterire liceat, iam fere inde a suscepto operis continuandi officio vehementer nobis suadebant ut duplex index componeretur, alter *index materiarum* seu *capitum doctrinae* nominandus, alter *index elementorum*. Prior index omnes doctrinas complecteretur in utraque Summa consulto et composite ab Auctore tractatas tanquam materiam aut conclusionem principalem tum integrae alicuius quaestionis tum uniuscuiusque singuli articuli aut capituli. Quod consilium nos hoc modo exsequi posse credidimus: Generatim doctrinae principaliter intentae, conceptus praecipui exprimuntur in ipso titulo quaestionis, articuli aut capituli. Ideo ne ulla doctrinae pars notabilis, nec conceptus insignis de quibus ex professo alicubi agitur extra hunc indicem remaneret, alphabetico ordine composuimus quaecumque verba notabilia occurrentia in prologis et titulis quaestionum et in titulis omnium articulorum et capitulorum, deinde singulis verbis huius elenchi submisimus plenis verbis omnes ipsos titulos ubi hoc verbum occurrit. Circa titulos articulorum in Summa Theologiae specialiter notandum est eos supra ipsum articulum saepissime enuntiari alia dictione vel magis determinate quam in prologo. In seligendis verbis alphabeticis utriusque dictionis plenam rationem habuimus; tituli autem a nobis semper afferuntur dictione illa authentica ex prologo desumpta; supra articulos enim tituli, deficientes in traditione manuscripta, posterius additi sunt ex verbis quibus auctor primam obiectionem introduxit quae, tantum non semper, sat recte et complete materiam articuli indicare solent. Cf. infra p. 291 a (1) *Quod attinet*.

Optime hoc modo simul satisfieri posse credimus necessitati tum materiae comprimendae tum eam adaptandi diversis inquirentium intentionibus.

Una materiae comprimendae opportunitas iam illico habetur intra ipsos limites prioris indicis: si de aliquo subiecto per totam quaestionem agitur, non indicatur nisi huius quaestionis titulus et locus, quin sub hoc verbo alphabetico enumerentur tituli singulorum articulorum quibus haec quaestio componitur. Sic e.g. ad verbum *timor* indicantur inter alia etiam quaestiones integrae de timore qui est donum (IIª IIªᵉ 19), de timore qui est vitium (IIª IIªᵉ 125), de timore qui est passio animae (Iª IIªᵉ 41-44), sed non ulterius indicantur singuli articuli, numero resp. 12, 4, 16, quibus hae quaestiones componuntur. Mere superflue enim hic adderetur quod quisquis necessarie obviam sibi habebit locis citatis. Quo autem facilius et promptius indicem percurrentibus eluceat an et quibus locis aliquod verbum alphabeticum tractetur per integram quaestionem Summam Theologiae (vel per seriem longiorem capitulorum Summae contra Gentiles), harum titulos eminere voluimus ceteris titulis, articulorum et capitulorum, imprimendo illos typis ut aiunt inclinatis seu italicis, hos vero consuetis typis rotundis.

Alteram similem quidem sed maiorem comprimendae materiae occasionem nacti sumus hoc modo ut in altero nostro indice, elementorum dico, nullas admittendas duxerimus sententias, definitiones, dictiones particulares, nulla elementa aut verba minuta ex illis articulis, capitulis et quaestionibus quae ex professo et consulto de hoc subiecto tractant, quorum proinde elenchus accuratus in priori indice iam habetur. Omnibus enim indicem alphabeticum rerum adeuntibus probe iam compertum est praecipua et pulchriora dicta S. Thomae de aliquo subiecto e.g. de *advocato, beatitudine, casu, diabolo, eleemosyna, fortuna, gloria, honore, ira* etc etc. certo magna copia adesse et facili negotio inveniri posse in illis locis, iam alphabetice ordinatis in priori elencho, in quibus auctor hoc subiectum specialiori consilio tractat ut materiam vel ut unum ex conceptis principalioribus articuli aut capituli. Tanta hic apud S. Thomam semper erit abundantia pulchre dictorum, ut quilibet studiosus aliquatenus diligens parvo quidem labore et magno fructu ea propriis oculis invenire valeat et seligere quae sibi placuerint, ut nobis autem etiam plurima excerpentibus nihilominus apud multos vix vituperium effugere liceret selectionis subiectivae et arbitrariae, quin unquam concordantiarum litteralium obiectivam perfectionem attingere daretur.

Dum eliminavimus hoc modo ab indice elemen-

torum magnam copiam dictionum quas quisquis facile sibi inveniet ope prioris indicis materiarum, hunc priorem vero in seligendis verbis et locis ita accuravimus ut in dubie assumendis ubi cuique perdifficile fuisset ex iusto medio nunquam excidere, potius abundare quam deficere voluerimus (1). Sic revera in priori indice iam propre accedentes ad numericam perfectionem concordantiarum litteralium intra limites titulorum utriusque Summae, insuper etiam maxime illi expositionis obiectivitati nos consuluisse credimus, quam perpetuo prosequi, prout fert materia, semper solemne habetur in omnibus nostris laboribus editoriis. Praeterea, cum tituli plene referantur illa forma interrogativa aut indeterminata secundum litteram S. Thomae, satis praecise materia indicatur et simul praevenimus illi indicum abusui, saepe causato ex compositionis methodo, ut studiosorum non pauci indicibus non utantur ut sibi inveniant loca propriis oculis legenda in textu auctoris, sed ut ex eis solis addiscant et exscribant sententias et doctrinas quin necessarium duxerint ipsa loca citata et contextum adire. Inde a limine compositionis huius (et etiam alterius) indicis perpetuo mentem attentam habuimus ne huic abusui ansam praeberemus. Inconsulte enim fit ut index, praeterquam quod sit « index », (idque quam uberrime fieri potest) adhuc vices gerat collectionis citationum litteralium. Aliud est *index* materiarum et verborum, longe aliud *enchiridium* seu *florilegium* sententiarum.

Studiosi, praesertim ii nondum versati in doctrina S. Thomae, secundum ordinem praestantiae doctrinis studere cupientes, prius ope huius prioris indicis materiarum inquirant et perlegant loca litteris inclinatis indicata ubi per totam quaestionem de re quaesita consulto tractatur; ibi in nostra Summae Theologiae editione accuratum invenient elenchum locorum parallelorum, deinde inspiciant ceteros titulos in indice nostro, postremo elementa separata in altero indice infraposito elementorum.

Alii forte doctrinis S. Thomae, materiae divisionibus et huius distributioni per utramque Summam, immo forte et litterae textus ex diuturno usu iam familiares, sponte aut facili negotio invenient de quocumque subiecto doctrinam S. Thomae ex proposito tractatam in textu duarum Summarum. Attamen et isti usu cognitam habentes constantem S. Doctoris industriam accurandi verborum acumen et proprietatem etiam in singulis et minimis textus partibus, libenter indicis rerum adminiculo utuntur ut inveniant, verbotenus conferant et ponderent omnia loca quibus enuntiatur aliquod principium vel argumentum discussum, aut celebris aliqua propositio vel definitio vel divisio aut quaecumque res maioris momenti, etiam si obiter tantum haec a S. Doctore tanguntur. Quae elementa doctrinae, dum simul in indice alphabetico iuncta leguntur et conferuntur praecipue ad loca ex priore indice collecta, ubi eaedem doctrinae expressius tractatae inveniuntur, maxime saepe iuvant multorum textuum clariori exegesi. Haec sunt quae in altero nostro indice. quem ideo *indicem elementorum* nuncupavimus, sedulo colligere conati sumus una cum plurimis aliis rebus particularioribus praeclare dictis. Talia notabilia obiter dicta cuilibet attente legenti quamcunque quaestionem S. Thomae frequenter sponte obveniunt quin ex solo titulo inspecto ibi ea expectaret.

Supra iam monuimus nobis non licere excedere fines huic indici et huic tomo necessarie aliunde impositos. Nullus igitur in hoc altero indice quaerat omnium verborum aut singularum notionum scholasticarum in duabus Summis occurrentium illas quas vocant concordantias numero completas, nec extra, ut patet, sed nec intra quidem proprios terminos supra positos. Planum enim cuilibet ex dictis videbitur alterum nostrum indicem necessario aliis criteriis, alio igitur modo ac priorem confectum esse: non methodo fere mathematica sed potius liberiore excerptorum modo secundum quod nobis textum attente perlegentibus alia simpliciter necessaria, alia valde utilia, alia plane digna visa sunt quae assumantur. Semper caventes ne nimia elementorum prolixitas vel abundantia inquirentibus oneri immo fastidio fieret, neve eorum paucitas vel levitas infructuosam redderet consultationem, in ulteriore excerptorum alphabetica compositione pro viribus curavimus ut haec unirentur et studiosis praesentarentur qua fieri potuerit claritate, brevitate et expositionis obiectivitate.

Haec considerantes bene intelligent benevoli lectores alterum nostrum indicem, elementorum dico, non tantam obiectivae perfectionis auctoritatem sibi vindicare posse quanta iuste apud studiosos frui debere credimus priorem indicem materiarum seu capitum doctrinae. Ad tantam enim stupendam abundantiam utilium et pulchrorum elementorum quae mirum S. Thomae ingenium uberrime sparsit per totam utramque Summam, fieri non potest quin in elementorum selectione, exscriptione et compositione necessarie redoleat paululum etiam singuli colligentis proprius animus, ingenium, minor maiorve pro tempore industria et attentio. Fida editorum collaboratione, mutuo operis peracti examine perpetuo, his inconvenientiis nos aliquantum mederi potuisse confidimus.

Duo igitur indices nostri ex diversis confectionis criteriis et normis, ex diversis quibus uterque destinatur usu et studiosorum coetu, ex propriis finibus intra quos eos valere diximus, certe dissimiliores sunt quam qui unirentur in unico elencho sub uno alphabeto continuo; cui unioni, in se non indesiderabili, ceteroquin obstabant multae aliae considerationes ex rerum circumstantiis indolis praesertim practicae.

Tantum abest ut nostra indicum rerum bipartita divisio innovatio quaedam esset, ut haud ita parum accedere videatur perantiquae consuetaeque illi divisioni quam videmus in fere omnibus Summae Theologiae editionibus vulgatis antiquis et hodiernis nostris. Ibi enim repetitos videmus iam per saecula semper omnino fere immutatos (quidquid pompose iactent de correctione et augmento plures editores) duos alphabeticos indices rerum: unus est brevior paucarum tantum paginarum, dictus vel *Doctrinae Christianae capita*, vel *Loci communes*, vel *Quaestiones*, alter valde extensior cui nomen *Res praecipuae*, vel *Doctrinae memorabiles*. Isti duo autem nunquam adamussim invicem collati aut coordinati sunt, nedum uno conceptu organice sicut nostri simul nati et elaborati essent. Prior index nihil aliud esse videtur nisi elenchus quidam quaestionum Summae Theologiae in ordinem alphabeticum redactus; alter mere est extractum locorum ad hanc Summam pertinentium ex celebri *Tabula Aurea* Petri de Bergomo.

---

(1) Ita e. g. tituli saepius recurrentes *utrum liceat...* forte superflue assumpti videbuntur etiam sub verbo *licere*, cum vix expectares in his articulis ex proposito explicatum esse conceptum tam genericum ut *licere*; attamen explicatur IIª IIªᵉ 187 1. Item, praeter expectationem invenitur explicatio conceptus valde generici *generalis* IIª IIªᵉ 58 6, item conceptus *possibilis* IIIª 46 2, *necessarius* IIIª 46 1 et pluries alibi, *conveniens* IIIª 46 3, *argumentum* IIIª 55 5. Exempla conceptuum qui recurrunt nimia frequentia et generalitate significationis quam ut utiliter assumerentur in hoc priori indice, sunt *teneri* (in titulis *utrum teneatur...*), *debere*, *oportere*, etiam *futurus* si nil nisi tempus verbi *esse* exprimat, e. g. Suppl. 74 1, 2. — E contra, assumpsimus multa verba quae in neutro titulo, nec in prologo nec super articulum, occurrunt, de quibus tamen quaestio aut articulus ex proposito agit, v. gr. si in titulo annuntiatur definitio, divisio aut oppositio aliqua quin ipsa membra definitionis, divisionis aut oppositionis nominentur, e. g. Iª 29 1; 32 3. Saepius hoc accidit in tractatu de virtutibus et vitiis; tunc autem assumpsimus hic sola membra doctrinae Auctoris respondentia, non igitur alias virtutes vel vitia iuxta aliorum opinionem forte ibidem nominatas, cf. e. g. IIª IIªᵉ 143.

INDEX PRIMUS

INDEX CAPITUM DOCTRINAE SEU MATERIARUM

Cum pernotum sit S. Thomam plurimi semper fecisse ordinem doctrinae, immo cui partim debetur teste prologo compositio Summae Theologiae, rem omnibus studiosis pergratam facere credimus quod huic indici tot iam referto materiis ex singularum quaestionum prologis desumptis, adiungimus etiam conspectus generaliores de compositione systematica totius Operis, separatim Summae Theologiae et Summae contra Gentiles. Quamvis ambo in hoc indice materiarum optime starent tanquam in loco suo ad verbum *Deus*, quippe cum *Deus, divina veritas* sit utriusque Summae materia principalis et conceptus summus a cuius divisione exorditur totius doctrinae tradendae explicatio mox processura in utraque propriis viis et methodis, usui commodiorem locum eis assignamus in principio huius prioris indicis. Horum schematum adminiculo non solum cuiuslibet quaestionis locus proprius in thomistico theologiae systemate facile inveniri potest, sed etiam omnibus ad integras tabulas studium suum specialiter adhibere cupientibus occasio datur prope intuendi illam subtilis ingenii Angelici operationem qua, sensim descendens a summis conceptibus, materiam tractandam per adaequatas divisiones multifariam dispertierit in singula membra usque ad minutas quaestiones et articulos et infima elementa doctrinae.

Praefari quaedam expedit primo de propriis principiis quibus doctrinarum explicatio in utraque Summa continue regitur, secundo de modo quo utrobique materiae divisiones fiunt et annuntiantur, tertio de componendi et dicendi genere specialiter Summae contra Gentiles proprio, quibus accedit notula de aspectu technico-compositorio tabularum.

DE PRINCIPIIS ET COMPOSITIONE COMPARATIS
SUMMAE THEOLOGIAE ET SUMMAE CONTRA GENTILES

I.

De principiis utriusque Summae

1. - Propria principia et viae manifestandae veritatis divinae inde a limine operis patent ex utriusque Summae parte introductoria, ex Summa Theologiae Parte I^a qu. 1 et prol. qu. 2; ex Summa contra Gentiles Lib. I cap. 1-9 et Lib. IV cap. 1. Has igitur brevissimo compendio praemittimus quo legentibus clarius sit earum infra institutum examen comparatum.

Introductio Summae Theologiae:

« *Quia catholicae veritatis doctor non solum provectos debet instruere. sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire.... propositum nostrae intentionis in hoc opere est, ea quae ad Christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium.... Tentabimus cum confidentia divini auxilii ea quae ad sacram doctrinam pertinent, breviter ac dilucide prosequi, secundum quod materia patietur. Et ut intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur, necessarium est primo investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit et ad quae se extendat* ».

De hoc auctor determinat per 10 articulos.

Primo (art. 1) *probatur necessariam esse praeter philosophicas doctrinas aliam doctrinam per revelationem acceptam, tum pro veritatibus quae rationem humanam excedunt, tum de his quae naturali ratione investigari possunt, et ratio sumitur ex fine supernaturali hominis. De iisdem rebus de quibus philosophicae disciplinae tractant secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, haec alia scientia tractat secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis.* « *Unde theologia quae ad sacram doctrinam pertinet differt secundum genus ab illa theologia quae pars philosophiae ponitur* ». — *Haec doctrina quamvis non procedens a principiis per se notis, est vera* scientia « *quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum* » (art. 2). — *Est scientia* una *ratione unitatis formalis obiecti, considerat enim omnia secundum quod sunt divinitus revelata* (art. 3). — *Est scientia speculativa et practica;* « *magis tamen est speculativa quam practica, quia principalius agit de rebus divinis quam de actibus humanis, de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem in qua aeterna beatitudo consistit* » (art. 4). — *Est dignior ceteris scientiis tum speculativis ex sua certitudine et materiae dignitate tum etiam practicis ex suo fine.* « *Utitur eis tanquam inferioribus et ancillis.... non propter defectum vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his quae per naturalem rationem.... cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quae sunt supra rationem* » (art. 5). — *Est maxime sapientia inter omnes sapientias humanas quia* « *determinat de Deo secundum quod est altissima causa, non solum quantum ad id quod est per creaturas cognoscibile (quod philosophi cognoverunt.....), sed etiam quantum ad id quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatum* ». *Quia eius cognitio est per revelationem,* « *ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum iudicare de eis; quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati huius scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum* » (art. 6). — *Eius subiectum est Deus, quia* « *omnia pertractantur... sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem... Quidam attendentes ad ea quae in ista scientia tractantur et non ad rationem secundum quam considerantur, assignaverunt aliter subiectum huius scientiae* » (art. 7). — *Doctrina sacra etiam argumentatur, contra haereticos et Iudaeos ex principiis revelatis, contra negantem revelationem* « *non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit, contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes sed solubilia argumenta* ». *Utitur sacra doctrina ratione humana:* « *cum enim gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei; sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati* » (art. 8). — *Communiter* omnibus *proponitur*

et ideo convenienter utitur metaphoris (art. 9). — *Cum Deus ipse sit auctor Sacrae Scripturae, sub una littera habere potest plures sensus* (art. 10).

Materiae divisio secundum prologum qu. 2:

« *Quia igitur principalis intentio huius sacrae doctrinae est Dei cognitionem tradere, et non solum secundum quod in se est sed etiam secundum quod est principium rerum et finis earum, et specialiter rationalis creaturae, ut ex dictis* (qu. 1 art. 7) *est manifestum, ad huius doctrinae expositionem intendentes, tractabimus*
primo, de Deo Pars Iª
secundo, de motu rationalis creaturae in Deum Pars IIª
tertio, de Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum Pars IIIª

Consideratio autem de Deo tripartita erit. Namque considerabimus
primo, ea quae ad essentiam divinam pertinent Iª 2-26
secundo, ea quae pertinent ad distinctionem personarum Iª 27-44
tertio, ea quae pertinent ad processum creaturarum ab ipso » Iª 45-119

2. - Introductio Summae contra Gentiles.

Sapientis officium (cap. 1) *et auctoris intentio* (cap. 2) *est* « *veritatem quam fides catholica profitetur, pro nostro modulo manifestare, errores eliminando contrarios* », *praecipue contra infideles qui* « *non conveniunt nobiscum in auctoritate alicuius Scripturae per quam possint convinci... Unde necesse est ad naturalem rationem recurrere, cui assentire omnes coguntur. Quae tamen in rebus divinis deficiens est. Simul autem veritatem aliquam investigantes ostendemus qui errores per eam excludantur, et quomodo demonstrativa veritas fidei Christianae religionis concordet* ». — « *Est autem in his quae de Deo confitemur duplex veritatis modus. Quaedam namque vera sunt de Deo quae omnem facultatem humanae rationis excedunt, ut Deum esse trinum et unum. Quaedam vero sunt ad quae etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est Deum esse, Deum esse unum, et alia huiusmodi; quae etiam philosophi demonstrative de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis* » (cap. 3). — *Convenienter utraque veritas* (*rationis* cap. 4, *fidei* cap. 5) *divinitus revelatur.* — *Veritati fidei fidem adhibentes minime leviter credunt, cum divina Sapientia convenientibus argumentis eam ostendit* (cap. 6). — *Huic veritati fidei contraria non possunt esse quae naturaliter humana ratio habet indita, quia utraque sunt verissima et solum falsum vero contrarium est. Unde quaecumque argumenta contra fidei documenta prolata non procedunt recte ex principiis primis naturae inditis per se notis.* « *Unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles vel sophisticae. Et sic ad ea solvenda locus relinquitur* » (cap. 7). — *Ad veritatem fidei humana ratio* « *ita se habet quod ad eam potest aliquas verisimilitudines colligere quae tamen non sufficiunt ad hoc quod praedicta veritas quasi demonstrative vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est ut in huiusmodi rationibus quantumcumque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi praesumptio* » (cap. 8). — (Cap. 9) *Duplex illa veritas non est ex parte Dei, sed ex parte cognitionis nostrae.* « *Ad primae igitur veritatis manifestationem per rationes demonstrativas, quibus adversarius convinci possit, procedendum est. Sed quia tales rationes ad secundam veritatem haberi non possunt, non debet esse ad hoc intentio ut adversarius rationibus convincatur: sed ut eius rationes, quas contra veritatem habet, solvantur.... Sunt tamen ad huiusmodi veritatem manifestandam rationes aliquae verisimiles inducendae, ad fidelium quidem exercitium et solatium, non autem ad adversarios convincendos: quia ipsa rationum insufficientia eos magis in suo errore confirmaret, dum aestimarent nos propter tam debiles rationes veritati fidei consentire.*

Modo ergo proposito procedere intendentes, primum nitemur ad manifestationem illius veritatis quam fides profitetur et ratio investigat.... Libri I, II, III
deinde.... ad illius veritatis manifestationem procedemus quae rationem excedit, solventes rationes adversariorum, et rationibus probabilibus et auctoritatibus, quantum Deus dederit, veritatem fidei declarantes Liber IV

Intendentibus igitur nobis per viam rationis prosequi ea quae de Deo ratio humana investigare potest,
primo consideratio occurrit de his quae Deo secundum seipsum conveniunt Liber I
secundo vero de processu creaturarum ab ipso Liber II
tertio autem de ordine creaturarum in ipsum sicut in finem » Liber III

(Lib. IV cap. 1): « *Oportet eadem via procedere in his quae supra rationem creduntur qua in superioribus processum est circa ea quae ratione investigantur de Deo:*
ut primo scilicet ea tractentur quae de ipso Deo supra rationem credenda proponuntur, sicut est confessio Trinitatis Lib. IV 1-26
secundo autem de his quae supra rationem a Deo sunt facta, sicut opus Incarnationis et quae consequuntur ad ipsam Lib. IV 27-78
tertio vero ea quae supra rationem in ultimo hominum fine expectantur, sicut resurrectio et glorificatio corporum, perpetua beatitudo animarum et quae his connectuntur » Lib. IV 79-97

3. - Quamvis secundum praemissa Deus videatur esse commune subiectum materiale et conceptus principalis a cuius consideratione et divisione in duabus Summis doctrina ulterius procedat, tamen plurimae utrobique assignandae sunt differentiae, quarum praecipua et aliarum quodammodo causa haec est: quod Deus et veritates divinae considerantur utrimque alia et alia ratione formali obiecti, in Summa Theologiae ut cognita lumine supernaturali revelationis divinae, in Summa contra Gentiles ut cognita lumine naturali rationis humanae. Doctrinae ibi traditae differunt igitur in obiecto formali quo, differunt in obiecto formali quod; multae proinde veritates manifestantur in doctrina sacra quae non tractantur in philosophia humana, et e converso. Si quandoque haec cum illa coincidit in identitatem materialem aliquarum veritatum et conclusionum, istae remanent distinctae formaliter ob alia principia et modos quibus intellectus humanus eis ipse assentitur easque alios docere nititur. Oportet igitur auctorem, de Deo et rebus divinis tractaturum, materiam alio mentis conceptu aggredi, aliis criteriis et auxiliis eam explicare, aliis audientium necessitatibus eam adaptare secundum quod docere intendat vel ex officio theologiae sacrae vel ex persona philosophi et sapientis humani. Huic positionis suae manifestandae necessitati S. Thomas optime et clare satisfacit in ipso limine utriusque operis.

4. - In Summa Theologiae opus suum aggreditur ut « catholicae veritatis doctor » et propositum est « ea quae ad Christianam religionem pertinent eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium » (1).

In Summa contra Gentiles statim suam facit inten-

(1) Non inutiliter, quippe cum et hae tabulae potius novitiis destinentur quam in doctrina Summae iam versatis, hic cum Caietano transeunter notare liceat: « Novitiis opus hoc convenire dicitur, non ratione facilitatis aut superficialis aut epilogalis aut introductorii tractatus, sed ratione sectarum superfluitatum, omissae repetitionis, et pulcherrimi ordinis ab ipso inventi; ut enim in processu apparet, omnes theologales difficultates, et ex propriis, hic distincte tractantur ».

tionem sapientis cuius consideratio circa finem universi versatur, circa causa altissimas.

« Finis ultimus uniuscuiusque rei est qui intenditur a primo auctore vel motore ipsius. Primus autem auctor et motor universi est intellectus, ut infra ostendetur. Oportet igitur ultimum finem universi esse bonum intellectus. Hoc autem est veritas. Oportet igitur veritatem esse ultimum finem totius universi, et circa eius considerationem principaliter sapientiam insistere ». Ideo et « primam philosophiam Philosophus determinat esse *scientiam veritatis*; non cuiuslibet, sed eius veritatis quae est origo omnis veritatis, scilicet quae pertinet ad primum principium essendi omnibus; unde et sua veritas est omnis veritatis principium: sic enim est dispositio rerum in veritate sicut in esse ». Duplex igitur officium sapientis et proinde intentio auctoris est: « veritatem divinam quae antonomasice est veritas, meditatam eloqui.... et errorem contra veritatem impugnare ».

Non tantum ex his verbis introductoriis, immo in ipsis iam titulis genuinis operum auctor diversam suam positionem innuere videtur. Operi de doctrina sacra titulus imponitur *Summa de Theologia* seu *Theologiae*; alterius Summae titulum plenum ac genuinum eruimus ex communissimis operis *incipit* et *explicit* in traditione manuscripta, ubi legitur: *incipit liber de veritate catholicae fidei contra errores infidelium, explicit quartus liber et etiam totalis tractatus de fide catholica contra gentiles* (cf. Tom. XIII XII b). In primo titulo materia dicitur esse *theologia,* sub qua simpliciter et universaliter dicta intenditur semper tota doctrina sacra revelata speculativa et practica, explicanda fidelibus ex ipsis fontibus revelatis; in alterius titulo materia ad solam *veritatis* manifestationem limitatur et quidem contra errores infidelium, contra negantes revelationem, ergo lumine solius rationis humanae. Deinde, si vim verborum urgere liceat, etiam verba *Summa* et *Liber seu Tractatus* aliud et aliud significant. *Summa* totam quidem materiam alicuius scientiae amplectitur sed limitatur ex modo tractandi, pressius namque ac ex omnibus partibus seligens principaliora et utiliora; *liber* et *tractatus* optime esse possunt de parte determinata, de aspectu specialiori materiae et nullam ex sui nominis significatione limitationem recipiunt in modo tractandi, interdum pro libitu auctoris vel pro opportunitate refutandi erroris valde longe et profunde quaestionem minorem tractabunt. Reapse his conceptibus ex titulo deductis plane concordare in utraque Summa materiae selectionem et tractationis modum, cuilibet perito iam diu compertum est.

5. — Diversam auctoris positionem etiam sponte redundare videmus in numerum et qualitatem legentium quibus utraque Summa praecipue destinatur. Ut « catholicae veritatis doctor » auctor sese debitorem agnoscit omnibus, provectis et iunioribus, immo suadente verbo Apostoli incipientium necessitatibus sese « secundum quod materia patietur » accomodare intendit. In Summa contra Gentiles loqui intendit de veritatibus divinis ex ore sapientiae humanae ad cultores sapientiae humanae. Isti autem sunt pauci, nam « a fructu studiosae inquisitionis qui est inventio veritatis, plurimi impediuntur », et « illi qui ad praedictae veritatis inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent » (cap. 4). Non igitur ad omnes homines qualescumque, nec ad multos oratio habetur, sed ad eruditos, ad doctissimos quosque, ad eos qui ingenii capacitate et veritatis amore praediti, ut verae sapientiae cultores veritates divinas perscrutari cupiunt. Tales, numero pauciores, sunt auditores quibus S. Doctor divinas veritates fidei catholicae per quatuor libros expositurus est quantum humanae in divinis debili rationi licebit, quorum errores (nam « investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur » l. c.) impugnaturus est et destructurus subsidiis propriae ipsorum philosophiae humanae.

6. — Praedictae auctoris positioni, diversae secundum quod de rebus divinis agere incipit ex persona theologi an ex persona philosophi, etiam respondet diversitas quaestionum praeliminarium quas S. Thomas sibi solvendas ponit in parte introductoria utriusque suae Summae.

Cum in scientia humana etiam de Deo tractetur, in Summa Theologiae opportune statim movetur quaestio de necessitate doctrinae revelatae quae brevi solvitur et « ex propriis » pro veritatibus tum rationi imperviis, tum ei perviis, ex argumento theologali: ex fine supernaturali hominum, ex salute hominum. — In Summa contra Gentiles eadem quaestio aliter proponitur et solvitur: videtur revelatio derogare sufficientiae et dignitati scientiae humanae, et respondetur, etiam « ex propriis », argumentis nempe ex ratione, revelationem esse factam « convenienter », nec leviter agere sapientem quando assentitur revelatis. « Haec enim divinae Sapientiae secreta ipsa divina Sapientia, quae omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare: quae sui praesentiam, et doctrinae et inspirationis veritatem, convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea quae naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit quae totius naturae superant facultatem » (*cap.* 6). In Summa Theologiae concludebatur ad necessitatem doctrinae revelatae, in Summa contra Gentiles ad convenientiam tantum. Ibi multoties (*cf. n. 1 allata ex art.* 5, 6, 8) insistitur in subiectione totali rationis ad fidem, hic quasi ad quietandum animum philosophi valde solliciti de iuribus ac autonomia suae scientiae - « ea enim quae naturaliter rationi humanae sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec esse falsa sit possibile cogitare » (*cap.* 7) - in speciali capitulo et argumento ex propriis ei probatur non-contrarietas utriusque veritatis. Immo in sequenti cap. 8 amice philosophus invitatur ut etiam veritatibus revelatis rationem excedentibus mentem applicet: *capax* enim est « aliquas verisimilitudines colligere », insuper « *utile* est ut in huiusmodi rationibus quantuncumque debilibus se mens humana exerceat », et « de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere, *iucundissimum* est ». Determinans (*cap.* 9) ordinem procedendi, iterum expresse auctor statuit ius et officium sapientis procedendi per rationes demonstrativas ad manifestationem veritatum divinarum sibi accessibilium. Ipse in his immoratur per tres priores et longiores libros ex quatuor quibus haec Summa dividitur, non adducens auctoritatem Sacrae Scriptura aut fidei nisi in brevissimis epilogis capitulorum, non tam ad probandum doctrinam traditam quam potius ad manifestationem non-contrarietatis ad doctrinam revelatam. Pro veritatibus rationem humanam excedentibus non iniungitur ibidem simplex subiectio et rationum obiectarum solutio, sicut in Summa Theologiae, sed suadetur aliquid amplius: « Sunt ad huiusmodi veritatem manifestandam rationes aliquae verisimiles inducendae, ad fidelium quidem exercitium et solatium, non autem ad adversarios convincendos ». Idem affirmat denuo in initio libri quarti: « Erit hic modus servandus ut ea quae in sermonibus Sacrae Scripturae sunt tradita, quasi principia sumantur; et sic ea quae in sermonibus praedictis occulte nobis traduntur, studeamus utcumque mente capere, a laceratione infidelium defendendo; ut tamen praesumptio perfecte cognoscendi non adsit; probanda enim sunt huiusmodi auctoritate Sacrae Scripturae, non autem ratione naturali. Sed tamen ostendendum est quod rationi naturali non sunt opposita, ut ab impugnatione infidelium defendantur ».

Ex his verbis videmus quomodo in Summa contra Gentiles auctor usque ad extremos limites capacita-

tis naturalis rationi humanae permittat ut in veritatibus divinis determinet, errores refutet, ulterius ascendat prudenter opinando et coniecturando, secundum duplicem modum manifestandi veritates divinas rationi partim pervias, partim impervias; et etiam hae ultimae, post praemissam ex auctoritate divina amplectandam doctrinam, adhuc considerantur et illustrantur, quantum fieri potest, lumine rationis humanae.

Ex intentione igitur auctoris valde distinctae sunt duae Summae secundum obiectum formale quo doctrinae traditae, quod est in Summa Theologiae lumen revelationis divinae, in Summa contra Gentiles principaliter lumen rationis humanae, sed non exclusive, quia contra haereticos etiam argumentatur ex revelatione formaliter ut credita et non ex ea inquantum est doctrina miraculis approbata. Ex parte obiecti materialis duae Summae et generatim omnis theologia sacra et theologia profana minime adeo sunt distinctae et separatae. Revelatio enim divina se extendere potest et reapse se extendit *aeque proprie* ad veritates rationi humanae pervias ac ei impervias; item intellectus humanus cuius obiectum est ens iure suo ac *proprie* considerare potest omnes veritates etiam de ente summo quod eius capacitatem excedit, duplici modo praedicto sed imperfecte tantum et deficienter. Suae autonomiae in propriis et praeeminentiae in scientiis humanis non obstat quominus ipsa tota subserviat doctrinae sacrae tanquam inferior digniori. Plurimae igitur demonstrationes metaphysicae et naturales quibus Summa contra Gentiles referta est utiliter adhiberi possunt et etiam solent a S. Thoma in theologia sacra quae tunc ex illis procedere dicenda est, cum Caietano art. 8 n. VIII, « ut ex propriis et quandoque necessariis, ministerialiter tamen, et non ratione sui, sed propter nostri intellectus infirmitatem, ut in art. 5 ad 2 dictum est ». E converso, neque rationis humanae autonomiae contrarium est quod veritas suarum conclusionum confertur ad doctrinam revelatam et quodammodo ex concordia ad eam mensuratur, sicut nec conclusio scientiae physicae propria auctoritate et certitudine privatur ex hoc quod eius veritas confertur ad eandem conclusionem deductam ex certiore scientia mathematica. Immo scientia humana hoc modo magnum subsidium assumere potest ex doctrina sacra indirecte, occasionaliter, in quantum persona scientis, qui aliunde ut credens veritatem aliquam certissime cognoscit, ex concordia cum veritate revelata securius ad ulteriora procedet, facilius nova inveniet, ex discordia promptius et diligentius inquiret ad errorem detegendum (1).

Iure igitur suo auctor in Summa Theologiae multum utitur demonstrationibus philosophicis tanquam propriis sed ministerialiter tantum; licite et utiliter Summa contra Gentiles multum utitur collatione ad doctrinam revelatam ut principio extrinseco quidem sed superiore, vel ad eam, *post* factam revelationem, aliquas speculationes verisimiles et convenientias pulcherrimas invenit, absque probandi praesumptione. Hoc S. Thomas non facit formaliter ut sacer doctor credens sed ut philosophus sapiens, scribens ex ore sapientiae verae humanae ad alios cultores huius sapientiae quae conscia suae imperfectionis in veritatibus divinis, sapienter et libenter humano criterio ac modo assensum praebet veritatibus manifestatis a divina auctoritate cum evidentibus signis.

7. - Ex dictis deducere licet quasdam alias conclusiones de indole Summae contra Gentiles comparata ad articulos introductorios 3, 4, 7 Summae Theologiae.

Doctrina in Summa contra Gentiles tradita non sicut in Summa Theologiae (*cfr. art.* 3) est *una,* sed ad duas scientias pertinet. Valde convenienter igitur auctor huius Summae doctrinam quam tradere intendebat divitit in duas partes formaliter distinctas et separatim tractandas: in priore parte (Lib. I-III) materia traditur suo obiecto formali quo luminis rationis humanae, cui intercedit revelatio tantum accessorie ad confirmandam conclusionem a ratione deductam; in altera parte (Lib. IV) principium formale quo assensus est revelatio divina; partim ex ea ut ex propriis argumentatur contra haereticos, partim errores contra eam refelluntur ex ratione, partim ipsae in se ex ratione illustrantur, quantum permittitur, « utcumque » et « exercitii et solatii » causa, cum « debilibus verisimilitudinibus ».

Doctrina sacra est eminenter et speculativa et practica (*cf. art.* 4), doctrina in Summa contra Gentiles est speculativa tantum: omnia considerantur hic ex desiderio et officio sapientis quod est « veritatem divinam meditatam eloqui ». Partim etiam ob hanc causam evenisse credimus quod multae doctrinae alio loco tractantur, alio modo connectuntur hic quam in Summa Theologiae. Cf. infra n. 9.

Subiectum doctrinae sacrae, proinde Summae Theologiae auctor probat esse Deum (*cf. art.* 7) formaliter inquantum est cognitus lumine revelationis. Motus ex similitudine utriusque Summae in principali materiae divisione (scilicet de Deo in se, de Deo ut est principium aliorum, de Deo ut est finis aliorum) et ex aliis praedictis forte aliquis opinatur Deum simili modo dici posse subiectum theologiae profanae (in casu Summae contra Gentiles, saltem trium priorum librorum), inquantum est cognitus lumine rationis. Attamen non omnino recte hoc dici potest. Nam in doctrina sacra, ex principio formali quo, quod est ipsa scientia Dei (*cf. art.* 2), subiectum est vere et proprie Deus in se, Deus ratione suae deitatis, secundum propriam quidditatem, quae cognitio, secundum naturam, est prior aliis cognitionibus. Nullibi dicitur in Summa contra Gentiles subiectum theologiae profanae esse *Deus in se* aut *Deus* simpliciter. Et recte, nam ab ea Deus attingi tantum potest formaliter ut est principium aliorum, ut est « altissima causa », quo mediante ulterius aliqua deduci possunt, per viam remotionis tantum (*cf. cap.* 14), de natura illius primae causae. Deus in theologia profana quae pars philosophiae et specialiter metaphysicae ponitur, non consideratur ut subiectum huius scientiae metaphysicae, sed ut *principium subiecti,* principium nempe omnis entis quod, ratione entis, est subiectum formale metaphysicae. Nec homo nec angelus (*cf. cap.* 3) ex effectibus proprie et perfecte naturam illius primi principii cognoscere potest, « cum sint effectus causae virtutem non aequantes ». Intellectus ex eis cognoscit de Deo tantum « quia est et alia huiusmodi quae oportet attribui primo principio ». Ne diutius in hoc immoremur, en textum brevem et succinctum scriptum alibi a sancto Doctore paulo ante inceptum opus Summae contra Gentiles: « Sic igitur theologia sive scientia divina est duplex: una in qua considerantur res divinae non tanquam subiectum scientiae sed tanquam *principium subiecti,* et talis est theologia quam philosophi prosequuntur, quae alio nomine metaphysica dicitur; alia vero quae ipsas res divinas considerat propter seipsas ut *subiectum scientiae,* et haec est theologia quae sacra Scriptura dicitur ». (*In Boetii de Trinitate,* qu. V, art. 4).

---

(1) Optime ad hoc Caietanus l. c. n° v: « Aliud est scire omnes rationes contra fidem esse solubiles, et aliud est scire solvere eas. Primum probatur in littera: et probatio assumit unam propositionem creditam, scilicet, *haec doctrina innititur veritati infallibili*: et propterea conclusio haec non nobis hic evidens est. Secundum vero in actu exercito consistit, et liber *Contra Gentiles* his plenus est. Et quoniam solutio, ut dictum est et experimur, non requirit evidentiam sed non - coactionem intellectus, et hoc in ipso exercitio solutionis convincitur dum ratio cogens non adest: ideo scire solvere, seu solvere contraria huius doctrinae, non est credere, aut ex credere nisi occasionaliter; quoniam ex hoc quod credimus applicamus intellectum ad inveniendum defectus rationum et propositionum contrariarum. Et hanc distinctionem bene nota: quia inadvertentia eius forte quosdam in hac littera errare permisit ».

II

De divisione principali utriusque Summae

8. - In utraque Summa auctor in fine partis introductoriae proponit materiae tractandae divisionem principalem, ubi idem utrobique videtur esse adhibitum principium quod saepissime regit in operibus S. Thomae materiae divisiones, divisio nempe secundum ordinem causarum, prius secundum naturam (idest secundum causam formalem et materialem in compositis materialibus), deinde secundum causam efficientem et finalem. Primo enim agitur in utraque Summa de natura Dei, secundo de Deo ut est causa efficiens, tertio de Deo ut est causa finalis. Tamen haec materiae tripartita divisio explicatur longe alia numerica partium dispositione in Summa Theologiae quam in Summa contra Gentiles, et in neutra ordo Partium vel Librorum huic tripartitae divisioni perfecte respondet.

In Summa Theologiae huic divisioni tripartitae respondent respective: de natura Dei, Pars I^a qu. 1-43; de processione creaturarum seu de Deo ut est causa efficiens, Pars I^a qu. 44-119; de motu rationalis creaturae in Deum seu de Deo ut est causa finalis, Partes I^a II^{ae}, II^a II^{ae}, III^a. Itaque principia philosophiae humanae largo quidem modo divisionibus doctrinae sacrae intercedunt usque ad principaliores; in ipsa autem ordinatione suprema totius operis Summae Theologiae locum cedere debet et subicitur divisioni magis theologico-supernaturali: Pars I^a de Deo, II^a de motu creaturae rationalis in Deum, III^a de Christo qui est nobis via tendendi in Deum.

In Summa contra Gentiles tripartita haec divisio, de natura Dei, de Deo ut est causa efficiens, de Deo ut est causa finalis, ex supradicto *duplici* modo manifestandae veritatis divinae, bis occurrit; prius pro veritatibus divinis quae sunt rationi humanae perviae, cui spectant respective Libri I, II, III; deinde pro veritatibus divinis rationem excedentibus, quae omnes considerantur in uno solo Libro IV, hac triplici capitulorum serie relativa capp. 1-26, 27-78, 79-97. Quantum vero ad *ordinem* causarum etiam in Summa contra Gentiles evolutio doctrinae submittitur ordini observato in doctrina fidei: prius nempe agitur de Deo, deinde de creaturis; et non e converso, quod magis conveniret philosophiae humanae purae, ut expresse dicitur (Lib. II cap. 4 *Exinde* etc.). Totum enim opus Summae contra Gentiles quamvis praecipue procedens ex principiis humanae rationis, ab auctore intentum est ad manifestationem doctrinae fidei, et sic revera, ministerialiter, est theologia; cf. Caietanum I^a qu. 1 art. 8 VII.

In utraque igitur Summa tradendae materiae evolutio non obstante alia et alia *numerica* partium distributione reapse subest eidem divisioni principali secundum causas.

9. - In assignando materias submittendas singulis his causibus magna est differentia inter duas Summas. Sic e. g. mysterium Incarnationis (et huic annexa institutio Sacramentorum) in Summa contra Gentiles tractatur inter illa excedentia (et quidem « maxime », cf. IV 27) humanam rationem quae *Deus* « *egit* », idest consideratur ut est *opus Dei*, ergo in parte quae agit de Deo ut est causa *efficiens*, in Summa Theologiae vero consideratur incarnatio Christi in tractatu de motu rationalis creaturae in Deum tanquam « via hominibus tendendi in Deum », potius igitur tanquam Dei causa instrumentalis principalis, ducens homines ad eorum finem supernaturalem et ideo locum habens in parte quae agit de Deo ut est causa finalis.

Item, tractatus de lege et gratia in Summa Theologiae sequuntur tanquam de principiis extrinsecis actuum humanorum post tractatus de passionibus et virtutibus consideratis ut principia intrinseca; in Summa contra Gentiles lex et gratia subnectuntur tractatui de providentia Dei ad ostendendum specialem providentiam quam Deus habet de creaturis rationalibus.

Generatim, idque in concordia ad supra n. 7 dicta de indole speculativa-practica doctrinae sacrae, omnes quaestiones « morales » annexae specialiter ut patet considerationi de Deo ut est causa finalis, dum tractantur in Summa Theologiae magis ex parte creaturae dirigendae, in Summa contra Gentiles exponuntur potius ex parte Dei dirigentis, illic ut doceatur quomodo actus hominum dirigi possint ac debeant in Deum tanquam in finem ultimum supernaturalem, hic praecipue ob speculative veritatem demonstrandam Deum esse finem ultimum et gubernatorem supremum. Inde hic valde longior illa inquisitio de ultima felicitate (lib. III, 1-63), inde quod hic deficit tractatus de actibus humanis, inde forte etiam revisio illa longa prioris redactionis capitulorum 111-139 de qua uberrime iam antea dissertati sumus in Tom. XIV p. VIII-XXI (cf. infra p. 305 b *Ut breviter* etc.).

His aliisque similibus rationibus plures partes minores ex Summa contra Gentiles postea in Summa Theologiae locum mutaverunt, aliae ibi disiunctae hic uniuntur et e converso; cf. doctrinas de miraculis, de peccato originali, de providentia et de praedestinatione Dei. Quamobrem schemata explicata singularum trium partium Summae Theologiae minime concordant schematibus quatuor Librorum Summae contra Gentiles, ita ut nulla pars notabilis unius schematis parti alterius ex pari iuxtaponi possit. Ubique enim tractatio totius partiumque notabilium regitur a differentia supra explicata obiecti formalis.

10. - His intellectis clarius erit qui fieri potuerit ut auctor processionem doctrinae ab eadem materia et ab eadem fere divisione principali inceptam, tandem in utraque Summa per proprias vias in tam diversa schemata evoluerit. Maior est concordia, maior igitur facultas iuxtaponendi et conferendi singulos articulos unius Summae ad capitula alterius. Hanc copiam studiosis large offert noster *index materiarum*. Meminerint bene omnes in singulis pressius ponderandis quae fuerint propria principia duarum Summarum, quid utriusque officium, qui proprii limites inter quos ipse auctor utriusque campum circumscribere voluerit. Nullus illico ratione probatam putet veritatem fidei ubi auctor non intenderit nisi, revelatione supposita aut breviter praemissa (quandoque extra corpus articuli in solo argumento Sed contra), dare aliquam convenientiam vel verisimilitudinem ex ratione humana ministerialiter assumpta in explicatione fidei; nec praesumptuose quis ad veritates cum fidei tum rationi cognoscibiles deneget aut diminuat vim demonstrationis philosophicae S. Thomae, dum forte sibi ipsi defecerit vel industria vel ingenii capacitas ad tam alta et difficilia rite intelligenda.

III

De compositione Summae contra Gentiles

11. - Non solum in principiis intrinsecis, in obiecto formali et in materiae selectione et divisione, sed etiam, immo praecipue, cuivis illico apparent maiores differentiae duarum Summarum in forma et dispositione exteriori partium, in toto genere dicendi et procedendi.

Per totam Summam Theologiae auctor procedit semper ordine systematico: ubique materiam tractandam praeannuntiat, constanter huic annuntiationi annectit divisiones et subdivisiones per quaestiones et articulos accurate numeratos. Haud difficile igitur est ex quaestionum prologis componere tabulas succincte et sche-

matice reproducentes totum opus in forma analysis perpetuae, idest incipiendo a summis conceptibus semper singulas partes successivarum divisionum denuo subdividentes usque dum pervenitur ad ultima membra qui sunt articuli quaestionum. Nec hic sistit processus methodicus auctoris. Singuli enim articuli continent has quatuor partes: argumenta in contrarium, argumentum *sed contra*, quod saepius brevissime veritatem propositam probat ex aliquo documento fidei aut traditionis, expositionem et solutionem quaestionis, solutionem argumentorum in contrarium.

Longe aliter doctrinae explicatio fit in Summa contra Gentiles. Omnis doctrina immo totus liber evolvitur suaviter decurrens fere velut una continua oratio aut lectio. Libri divisio, eaque illa principalis tantum, non statim et adscriptis numeris sed modo fere oratorio proponitur prope finem partis introductoriae (in fine c. 9). Libro primo nulla praemittitur subdivisio specialis huius libri; trium ceterorum librorum haec datur per summa tantum membra et eadem dictione potius oratoria.

12. - In Summa Theologiae singulae quaestiones, et intra quaestionem singuli articuli, ex modo technico quo proponuntur aliquid separatum constituunt, sunt particulae doctrinae in se clausae, ordinem et unionem ad invicem plerumque non habentes expresse enuntiatam in ipso articulo sed ex praeindicatis, ex divisionibus in prologo explicatis et accurate numeratis. Iacent articuli separati ab invicem, in toto ordinem et unitatem recipientes ex praepositis schematibus fere sicut merces depositi ex cistis et capsis, vel sicut libri bibliothecae ex pluteis et scamnis praeordinatis.

In Summa contra Gentiles fere contrarium accidisse videtur. Deficiunt fere omnino clare indicatae subdivisiones intermediae inter parcissimas illas oratorio modo praeindicatas divisiones principales et singula capitula quibus constituitur unica exterius apparens materiae ulterior divisio. E contra, singula capitula generatim, tantum non semper, aliquo nexu et transitu uniuntur immediate capitulo sibi praecedenti, huiusque materiam et conclusionem ulterius producunt, fluunt igitur sicut partes successivae orationis longae continuae sensim vix perceptibili interruptione ex una materia in aliam. Nexus brevissimi quidem sunt sed apti et semper valde spontanei. Hinc inde fiunt quaedam recapitulationes praecedentium, veloces resumptiones argumentorum pro aliqua thesi allatorum; quandoque aliquod capitulum speciale instituitur ut epilogus dictorum. Haec omnia sane valde oratorio generi dicendi vel lectionis exigentiis convenire dicenda sunt. Exempla habes I 64; II 68; III 37, 48, 83, 94 post obl. 5; IV 34, 39, 50, 55 in fine. Textus dispositio in parte Autographi superstite plene dictis respondet. Capitulorum distinctio vix ibi dignoscitur ex solo spatiolo albo in fine lineae; capitula nunquam ibi numerata sunt. Tituli stant in margine vicinlore additi probabiliter post scriptum capitulum, immo saepe praesertim in primo libro omnino deficiunt; non raro incomplete exprimunt materias tractatas, e.g. II 96; eorum ordo et numeratio in traditione manuscripta mare magnum confusionum est. Hodierna capitulorum distinctio proindeque eorum numeratio saeculorum usu recepta quinquies in praesentia Autographi, bis extra Autographum testante cetera traditione, militat contra genuinam. De his cf. Tom. XV pag. XXVI-XXXVIII.

13. - Haec de dispositione et ordine exteriore capitulorum. Si singillatim considerantur, etiam interna eorum constructio et partium distributio statim apparet plurimum differe a constructione uniformi articulorum Summae Theologiae. Certe, re saepe adsunt etiam in Summa contra Gentiles illae partes iam dictae: argumenta in contrarium, argumenta ex fide, ex ratione, solutio argumentorum in contrarium; tamen ordinantur invicem et distribuuntur per materiam modo liberiore et adeo variato ut evidenter pateat auctorem in hoc nulli schemati mechanico sese adstringere voluisse. In capitulorum parte forte maiori singulae paragraphi sunt probationes unius thesis; in aliis thesis potius per partes evolvitur et singulis partibus annectitur series argumentorum (cf. II 73). Quandoque in uno capitulo diversa, vel idem sub diversis respectibus, tractantur, et maior solito attentio requiritur ad rite decomponenda membra capituli (quod nos in studiosorum commodum fecimus in nostra editione manuali numeros apponendo, cf. II 75; III 132, 135; IV 10, 14 et multoties alibi), ad quod non satis attendens modernus quidam translator huius Summae non raro falso numeravit capitulorum paragraphos. Quandoque obiectiones stant ante thesim, quandoque post eam; item hae partes uniuntur quandoque in uno capitulo, quandoque obiectiones et responsiones distribuuntur per distincta capitula et variis modis. Sic e. g. obiectionibus capituli II 88 respondet 89; III 131 resp. 134; capitulis II 56, 59 simul resp. 69; IV 4, 5 simul resp. 9. Aliquando uni capitulo respondet series capitulorum; sic uni I 63 resp. series 64-71, item uni IV 62 series 63-67. Aliquando utrobique adest series capitulorum, sic seriei II 32-34 resp. series 35-37.

14. - Prae ceteris in toto libro IV clarius elucet liberior ille procedendi modus extra omnimodam rigidi schematis coactionem. Apud singulas veritates divinas hic tractatas semper adsunt partes sequentes:

prima, sententia fidei proponitur.

secunda, dantur opiniones haereticorum eorumque argumenta in contrarium ex Sacra Scriptura.

tertia, improbatio haeresum, sententiae fidei confirmatio et ulterior explicatio cum novis auctoritatibus Sacrae Scripturae.

quarta, responsio ad singula haereticorum argumenta.

quinta, obiectiones ex ratione.

sexta, explicatur quid de sententia fidei secundum rationem sentiendum sit.

septima, responsio ad singulas obiectiones ex ratione adductas.

Huic schemati parum respondet realis partium ordo et adhuc multo minus numerica capitulorum distinctio. Sic partes 2ª et 3ª saepe in uno solo capitulo uniuntur, e. g. in capp. 4, 5, 28-36; separatae sunt in capp. 6, 7. Pars 4ª longius debito distat in cap. 9 quod refertur ad capp. 4, 5. — Regulariter sibi sequuntur partes 2ª, 3ª, 4ª in capp. 6, 7, 8. Item partes 1ª, 2ª, 3ª, 4ª in tribus seriebus capp. 15-23, 24-26, et 50-52, sed in prima harum serierum pars 3ª sese extendit per sex capitula 17-22, in secunda cap. 25 simul continet partes 2^{am}, 3^{am}, 4^{am}, in tertia cap. 52 continet partes 3^{am} et 4^{am}. Item debito numeri ordine procedunt partes 5ª, 6ª, 7ª in tribus seriebus capp. 10-14, 40-49, et 53-55, sed pars 6ª longior est et se extendit per tria capp. 11-13 in prima serie, per octo capp. 41-48 in secunda serie. — In cap. 79 uniuntur partes 1ª et 6ª, quibus sequuntur in capp 80, 81 partes 5ª et 7ª, in uno cap. 83 sibi uniuntur partes 6ª, 2ª, 3ª, in cap. 84 partes 2ª, 3ª, 6ª. Series continua 61,62, 63-68 respondet partibus 6^{ae}, 5^{ae}, 7^{ae}. Etc.

15. - Manifestissimum igitur est specialiter ex hoc libro quarto S. Thomam in hac Summa non rigidi schematis executioni sese subiicere voluisse, sed liberiore magis oratorio modo processisse. Quam longum est auctoris ingenium per totam Summam contra Gentiles a servili mechanismo. Verum in ipsa etiam tam methodice composita Summa Theologiae hanc ingenii spontaneitatem observare et laudare possumus e libertate qua saepissime materiam articuli in prologis universalius annuntiatam in ipsis articulis ad determinatiorem quae-

stionem contractat, aut qua ordinem, divisionem immo vel ipsam materiam propositam aliquando immutat (1).

Praeterquam in liberiore partium doctrinae dispositione, etiam in ratiocinationum genere observare possumus in Summa contra Gentiles varietatem valde maiorem quam quae in Summa Theologiae habetur ex systematica materiae explicatione ope perpetuae divisionis et subdivisionis constanti fere modo applicatae diversis materiis. In Summa contra Gentiles capitulorum series ex genere ratiocinationum tum speciem induere videtur haud absimilem illi formae quam rhetorici soritem appellare consueverunt seu seriem continuatam conclusionum unitarum ad modum anulorum in catena, tum assimilatur quodammodo evolutioni thesis ad cuius conclusionem principalem sequitur longa series corollariorum; tum non raro e converso capitulorum series praeparat remotam conclusionem per viam inductionis, nec desunt loci ubi selectio et ordo materiarum non aliam videatur habere rationem nisi errorum et haeresum refutationem toties ab auctore indicatam ut unum ex principalioribus intentis in suo libro « de veritate catholicae fidei contra errores infidelium ».

16. - Nonne praedicta sufficiunt ad demonstrandum apud S. Thomam absentiam schematis minute praeconcepti in compositione Summae contra Gentiles? Ne ullum supersit dubium, videamus quanta licentia et frequentia auctor corrigendo iam scripta etiam ordinem doctrinae in secundariis haud ita parum mutaverit:

In libro I post c. 36 inserta sunt capitula de Dei bonitate, duo scripta et mox deleta in margine, quinque scripta in quaterno auxiliario, nunc 37-41; deinde c. 42 donatum est novo exordio et novo argumento primo; cf. Tom. XIII p. 11*, 12*. — Post considerationem de substantia Dei, praecipue « per viam remotionis » cf. I 14, prius ex mente Auctoris sequebatur consideratio de operatione Dei, praecipue « per viam similitudinis », ut patet ex initio prioris redactionis capituli 44; cf. l. c. 15* a 59-63. Iste nexus determinatus (iam expresse praedeletus, cf. notam ad l. c.) locum cedit in capitulo extense reviso huic nexui multo indeterminatiori: « ex praemissis ostendi potest ». — Ante c. 45 *Quod intelligere Dei est sua essentia* erat c. *De vita Dei*, post c. 45 erat c. *Quod Deus est suum vivere et beate vivere;* utrumque deletur et utriusque materia integre reformata nunc invenitur in fine libri I in c. 97-102; cf. l. c. not. ad 16* a 67. — Post c. 49 *Quod Deus cognoscit alia a se* prius sequebantur in margine inferiore duo capitula, postea deleta. Materia prioris *Quod cognitio Dei non est discursiva* reapparet valde inferius, in c. 57; in alterius materia *Quod in Dei notitia non est successio* auctor multum sudasse videtur, nam prius reapparet et denuo deletur post c. 54 ubi eam sequebantur duo capitula (*Quod intellectus divinus non est aliquo modo in potentia*, deletum, multo reformatum reapparens in c. 56, et *Quod cognitio divini intellectus nullo modo variatur*, simpliciter suppressum) post quae tandem reapparet in redactione definitiva cum titulo *Quod Deus omnia simul intelligit*, nunc c. 55; sed mutationum nondum finis! per signa enim remissiva ei locus imponitur anterior, ante c. 56; cf. l. c. notas ad 18* b 42, 22* a 40, 23* a 4. — De veritate Dei agitur nunc per 4 capp. 59-62; ex revisione orta et scripta in quaterno auxiliario sunt c. 59, 60, 62 et novum exordium c. 61; cf. not. ad 24* b 34.

In libro II duo capitula de voluntate substantiarum intellectualium, orta post intensam revisionem ex uno capitulo, removentur ab auctore a priore loco post c. 55 anterius post c. 46 cui cum novo exordio iunguntur, suppresso nexu genuino ad c. 55; cf. l. c. not. ad 54* a 5, b 8.

In libro III capituli 47 pars posterior uniebatur capitulo 46 continuans considerationem de textibus S. Augustini; interiectis 4 novis paragraphis efficitur novum capitulum; cf. Tom. XIV not. ad 15* a 41-44. — Cap. 66 *Quod nihil dat esse nisi inquantum agit in virtute divina* erat pars posterior et conclusio capituli 70 *Quomodo idem effectus sit a Deo et a natura agente;* deleto nexu ad priorem partem nunc cum novo exordio et nova paragrapho prima iungitur immediate capitulo praecedenti 65 *Quod Deus conservat res in esse;* cf. l. c. 22* a 58, b 3. — Cap. 68 *Quod Deus est ubique* totum debetur revisioni posteriori et scriptum est in quaterno auxiliario. Consequenter etiam exordium capituli 69 leviter mutatur hoc sensu quod supprimitur nexus immediatus ad verba Sacrae Scripturae in fine capituli 67; cf. l. c. 23* a 9-12, 18, 23. — In fine brevis capituli 83 *Epilogus dictorum* prius stabat paragraphus *Dicuntur autem*, per

---

(1) Sic e. gr. ad *quaestionum* ordinem quod attinet: in I^a qu. 47 divisio materiae datur tripartita: primo de distinctione rerum in communi, secundo de distinctione mali et boni, tertio de distinctione spiritualis et corporalis creaturae. Pure mechanice procedendo et secundum schema toties alibi adhibitum ab auctore forte distinctio melius fuisset bipartita: de distinctione rerum in communi, et in speciali, iterum subdividendo alterum membrum bipartitim. Reapse et talem in mente auctoris divisionem fuisse patet ex prologo qu. 48. — Casus similis obtinet in I^a II^{ae} qu. 6-17; divisio in prol. qu. 6 haec est: primo de voluntario et involuntario in communi, secundo de actibus elicitis voluntatis, tertio de actibus imperatis. Schema magis mechanice productum, et etiam iuxta prol. qu. 8, sic sonasset: secundo de actibus voluntariis in speciali, subdividendo hoc membrum iterum bipartitim. — Similiter ibidem divisio tripartita qu. 18-20 fieri potuisset bipartitim, subdividendo alterum membrum qu. 19-20 bipartitim. — In I^a qu. 104-105 in nostro conspectu schematico distinximus ita ut qu. 104 agat de primo effectu gubernationis divinae qui est conservatio creaturarum in esse, qu. 105 de secundo effectu qui est mutatio earum. De hac divisione tacet prol. qu. 104, sed eam clare supponit prol. qu. 105. — In II^a II^{ae} apud singulas virtutes theologicas tractantur hae quatuor materiae: de ipsa virtute secundum se, de dono ei correspondente, de vitiis oppositis, de praeceptis ad eam pertinentibus; similiter apud virtutes cardinales ubi insuper adiungitur consideratio de partibus (subiectivis, integralibus et potentialibus) harum virtutum. Minime tamen hae materiae apud singulas virtutes evolvuntur mechanice secundum aliquod schema commune praepositum; immo ordine numerico partium solae evolutiones apud fidem et spem plene respondent sibi invicem et forte schemati communi in mente praeconcepto.

Quod attinet ad *articulorum* ordinem et materiam, quae citari solent secundum titulos posterius ipsi articulo immediate suprapositos, iam innuimus supra p. 283 a frequentiam differentiarum ad titulos prout in prologis quaestionum annuntiantur. En exempla:

Nondum insolito, immo frequenter accidit ut materia articuli annuntietur in prologis modo interrogativo vel indeterminato cui sequitur super ipsum articulum titulus dictione positiva et determinata, vel in articulo ipsa materia magis contrahitur et determinatur. Pro titulis interrogativis cf. e. gr. I^a 5 4; 10 1; 18 1, 2; 24 1, 2; 29 4; 45 1; I^a II^{ae} 62 3. Exempla indeterminatae formae prologi sunt: *De comparatione ad...*, vel *De causa...*, vel *De effectu...*, vel *De materia...*, vel *De subiecto...* etc., cf. v. gr. I^a 16 3, 4; 43 6, 7; praecipue in tractatu de virtutibus et vitiis casus frequenter obtinet, cf. e. gr. II^a II^{ae} 82 3, 4; 124 4, 5; 144 2, 3, 4; 147 8; 149 1, 4 etc. — Valde rarius vero et quodammodo inexpectato accidit contrarium, scilicet titulus in prologo determinatior quam reapse sunt materia et titulus ipsius articuli, e. g. I^a 43 8; 90 2; I^a II^{ae} 92 2; III^a 47 5. — Pluries tituli in prologo accuratius exprimunt materiam articuli quam titulus supra articulum; hoc inde evenit quod titulus super articulum desumptus est ex verbis initialibus primae obiectionis quae quandoque impugnat vel negat tantum partem materiae ibi tractatae, e. g. I^a 39 8 male contrahitur ad solos Doctores, attributio etiam fit in S. Scriptura, cf. arg. 5; I^a 45 8 superflue additur *ars;* I^a II^{ae} 66 4; III^a 16 4, 5; III^a 65 3; Suppl. 90 3 superflue additur a *malis*, responsio agit de omnibus. — Quandoque e contra titulus super articulum melius respondet materiae tractatae quam titulus annuntiatus in prologo, e. g. I^a II^{ae} 61 3; III^a 56 1, 2; II^a II^{ae} 183 2. — Iam non omnino leves interdum sunt differentiae verborum e. g. I^a II^{ae} 94 6 *in mente - in corde;* III^a 59 4 *homines - res humanae.* — Non desunt verae mutationes ex proposito factae, sive in solo ordine articulorum, sic invertitur ordo articulorum 2 et 3 in III^a 54; art. 5 et 10 in III^a 82, sive etiam in ipsa materia tractata. Sic II^a II^{ae} 83 in prologo annuntiantur et reapse sequuntur 17 articuli, videtur inversus ordo art. 15, 16, sed potius dicendum articulum 15 simul respondere ad quaestiones propositas 15, 16, et articulum 16 noviter additum esse de oratione peccatorum. Item, in III^a 75 octo articuli minime respondent prologo; praepositis art. 1 omnino novus de reali praesentia praemittitur, quaesitum 7 tractatur in art. 8 ad 3, ceteri articuli numerum mutant. Item, I^a II^{ae} 74 8 non tam videtur esse alia dictio tituli quam potius revera alia materia quam exprimebatur in quaesito 8 prologi.

signa remittitur in fine c. 79 una cum duobus capitulis quae eam sequebantur *De ordinatione angelorum* (c. 80) *et hominum* (c. 81) *ad invicem*. Consequenter cap. 83 nunc minus perfecte epilogat praecedentia; non expresse mentio fit de materia duorum capitulorum 80, 81. — Omnium autem maximam reformationem ordinis doctrinae et capitulorum habuerunt capitula 113-139. Ex priore redactione multa capitula suppressa sunt, alia longe transposita, alia variis artificiis divisa aut aliter iuncta, multa omnino noviter addita; omnes huius partis revisiones nobis visae sunt obedire uni conceptui principali. De his autem cf. Tom. XIV VIII-XXI (specialiter XIII a), 44*-49*, et hic infra p. 305 a. Nostra nunc tantum interest adnotare extensam hanc reformationem ordinis doctrinae non factam esse in quodam priore momento post vix inceptam elaborationem materiae praeconceptae sed valde probabiliter prope aut post finem operis, forte in ultima quadam operis peracti revisione, ut probavimus Tom. XIV XXIX b; Tom. XV XXI a § 4 n. 1.

17. - Eae ipsae multiplices iteratae revisiones quibus tanta nobis manifestatur libertas auctoris in materiae evolutione et divisione, tamen simul ex numerosis reformatis exordiis et epilogis ostendunt quanta sollicitudine auctor curaverit semper nexum capitulorum ad immediate circumstantia. Videtur iste nexus immediatus capitulorum quandoque praevalere nexui generaliori materiae. Quemadmodum orator procedens de parte in partem saepius transeundi formulam sumit potius relatam ad propositiones viciniores quam ex ipsa divisione generaliori praemissa, ita S. Thomas in iungendo principaliores partes materiae libenter utitur, in forma sive exordii sive epilogi, aliquo nexu particulariore ex vicinioribus desumpto (1); eousque utitur licentia ac si quandoque non amplius meminisse videatur divisionis generalioris prius datae.

Hoc valet tam pro integris libris quam pro eorum subdivisionibus. Sic prooemium libri II non meminit divisionis datae libro I c. 9: primo de Deo secundum se, secundo de processu creaturarum ab ipso, tertio de ordine creaturarum in ipsum sicut in finem; sed nexus quaeritur ex duplici operatione, quarum una est perfectio operantis, alia perfectio operati: utraque Deo competit, prima in eo quod intelligit, vult, gaudet et amat (lib. I c. 44-102), alia in eo quod res in esse producit et eas conservat et regit (lib. II et III). Prooemium libri III hac utitur transeundi formula quae, saltem in parte explicativa, vicinius adhaeret divisioni libri I c. 9: « Quia igitur in primo libro de perfectione divinae naturae prosecuti sumus; in secundo autem de perfectione potestatis ipsius, secundum quod est rerum omnium productor et dominus: restat in hoc tertio libro prosequi de perfecta auctoritate sive dignitate ipsius secundum quod est rerum omnium finis et rector ». Duo etiam afferre liceat exempla particulariora, unum exordium, alterum epilogum:

Subdivisio tripartita libri IV annuntiata in c. 1 (cf. supra n. 2) respondebat divisioni partis prioris in tres libros, idest divisioni philosophicae secundum causas: de Deo in se, de Deo ut est causa efficiens, de Deo ut est causa finalis. Aggrediens autem tertiam subdivisionem auctor, quasi immemor generalioris divisionis annuntiatae, immediate ultima capitula secundae partis, scil. de sacramentis, iungit primis capitulis tertiae partis, scil. de resurrectione, hoc nexu omnino diverso et magis theologico: Ex primo peccato sicut ex quadam causa universali damnationis (cf. c. 55 ad 26) homo subiacet culpae et poenae. Ab utroque liberamur per Christum sicut per causam universalem salutis: per mortem Christi liberati sumus a culpa et huius effectum consequimur per sacramenta; per resurrectionem Christi liberabimur in fine saeculi a morte quae est poena peccati.

In libro III c. 28-37 per viam inductionis (cf. fin. c. 37) determinat de felicitate humana hoc schemate: ea non consistit in bonis exterioribus (honore, gloria, divitiis, potentia), in bonis nec corporis, nec animae sensitivae, nec intellectivae secundum actus virtutum moralium, nec intellectualium quae sunt circa actiones, sed tantum in contemplatione veritatis. Eadem fere bona auctor enumerat inferius in c. 63 epilogando qualiter in beatitudine omnia desideria hominis impleantur. Hic tamen pro magna spontaneitate ingenii sui alia utitur divisione schematica aeque apta, pulchra et adaequata quae talis est: implebitur ibi omne desiderium hominis: inquantum intellectualis est de cognitione veritatis, quod prosequuntur homines per studium contemplativae vitae; inquantum habet rationem qua inferiora disponere potest, quod prosequuntur homines per studium activae et civilis vitae per quod appetuntur principaliter quidem virtus sed et honoris sublimitas, famae celebritas, divitiae; inquantum habet desiderium commune cum omnibus animalibus ut delectationibus perfruatur; inquantum habet desiderium naturale commune omnibus rebus per quod conservationem sui desiderant.

18. - Praedicta omnia nobis auctorem revelant omnes animae vires incumbentem ut, « assumpta ex divina pietate fiducia sapientis officium prosequendi, veritatem divinam eloquatur » (cf. I 1. 2) ad sapientes huius mundi, proindeque in sermone ad « eorum praeclara ingenia » (cf. III 48 *In quo nobis*) magis dare potuit animi attentionem et applicare ingenii subtilitatem ipsi veritatis speculationi intimiorique penetrationi quam artificiis scholae quae iunioribus et incipientibus in processu doctrinae necessariora sunt adiumenta. Procul dubio clarum magistri ingenium atque frequens ipsius docendi et disputandi officium etiam operi scripto Contra Gentiles nunquam deesse sinebant logice ordinatas materiae distributionem partiumque successionem, etiam per singula; vidimus eum clare quidem quamvis liberiore dicendi modo annuntiantem supremas libri divisiones, observavimus eius curam de nexu infimo unius capituli ad alterum ut conservaretur processus orationis continuae. Sed haec ei sufficiebant; inter hos extremos limites liberius sese movebat prout ferebat subtilissimi sui ingenii intuitio veritatis vel occasio disputandi contra errorem. Apprime versatus in artis logicae regulis, repletus philosophiae humanae et doctrinae sacrae thesauris, stupenda memoria haec subsidia omnia usui semper prompta habens, campum vastum veritatis speculandae ingressus claro mentis intuitu viam veritatis inveniendae longe introspicit inventamque aliis explicare conatur cum laboriosa quidem sui scripti iterata correctione seu potius perfectione et perpolitione continua, quin tamen opus esset reddere sibi aut eruditis eum audientibus rationem explicitam utensilium scholae ar-

(1) Forte habetur aliquid simile in ipsa Summa Theologiae in prologo I^{ae} II^{ae}. Secundum divisionem principalem totius Operis, annuntiatam in prol. I^{ae} qu. 2, post dicta in Parte I^{a} de Deo in se, de Deo ut est principium creaturarum, in Parte II^{a} tractandum erat de Deo ut est finis earum, seu « de motu rationalis creaturae in Deum ». Tamen transeundi formula prologi I^{ae} II^{ae} non refertur ad hanc divisionem principalem et agit de Deo potius ut est causa exemplaris motus creaturae quam de eo ut est causa finalis: « Quia, sicut Damascenus dicit, homo factus ad imaginem Dei dicitur, secundum quod per imaginem significatur intellectuale et arbitrio liberum et per se potestativum; postquam praedictum est de exemplari, scilicet de Deo, et de his quae processerunt ex divina potestate secundum eius voluntatem, restat ut consideremus de eius imagine, idest de homine, secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens et suorum operum potestatem ». Haec introductio I^{a} II^{ae} potius nexum immediatum constituere videtur inter finem Partis I^{ae} et initium I^{ae} II^{ae} quam inter totam I^{am} et totam I^{am} II^{ae}. Nam prope finem I^{ae} in qu. 94 agitur « de fine sive termino productionis hominis, prout dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei », et in principio I^{ae} II^{ae} sermo fit de natura actus humani liberi.

tisque subsidiorum quibus singuli viae passus mensurati et directi fuerint.

Concludendo haud ita temere affirmare licet in Summa contra Gentiles intimiori partium constructioni non raro illud accidisse quod saepius evenire solet excellentissimo cuique operi artis: elucet omnium admirationi operis perfecti perspicua ars, latent adhibita artificia.

19. - Facile patet ex praemissis quanto difficilius sit componere conspectum schematicum Summae contra Gentiles quam Summae Theologiae. Ubi ipse artifex tacet, magna erit cuique errandi occasio, frequens aliis aliter sentiendi licentia. Subdivisiones principaliores quae maioribus capitulorum seriebus subsunt etiam si non annuntiantur expressis verbis, tutius forte indicari possunt. Attamen et hic specialis animi attentio requiritur ut rite agnoscantur divisionum ordo et ratio. Peritiores nobis quandoque errasse valde suspicamur; inter peritiores nimirum recenseatur eximius huius Summae commentator Ferrariensis, at erronea nobis videtur, salva ipsius veneranda auctoritate dixerim, divisio materiae quam proponit in lib. II c. 46; aliae nobis minus probabiles videbantur, sed forte et ipse, Magistrum imitatus, minus attentum sese praebuit his elementis inferioribus quidem et ipsi doctrinae extraneis, commentatore tamen accurato non indignis.

Quodsi iam simplex materiae divisio descriptiva non levem interdum parit difficultatem, maiorem profecto affert conatus comprimendi evolutionem doctrinae Summae contra Gentiles usque ad infimas particulas doctrinae in forma continuatae divisionis, idest in forma analysis perpetuae unius vel aliquorum paucorum conceptuum. Tali conatui certe parum favent quae vidimus Auctoris oratorium dicendi genus, argumentationum varietas, revisionum frequentia. Ad talem analysim rite conficiendam minime sufficeret solum colligere et considerare aliquantum titulos capitulorum Summae contra Gentiles eosque vix inspecto textu operis distribuere per series et ulterius dividere vel componere secundum regulas plerumque aprioristicas ab arte logica mutuatas; penitior et vicinior inspectio capitulorum in ipso contextu requiritur. Accedit quod talem analysim a diversis studiosis, etiam peritioribus, fieri non posse arbitramur quin certo nec semel nec leviter ab invicem discordaturae sint eorum descriptiones minutae rationum quae auctori attribuerentur in dividendo et connectendo cum singula capitula tum longiores capitulorum series.

Unde nec mirum quod e. g. nobis omnino non placent tabulae hoc modo confectae et publici iuris factae Parisiis initio huius saeculi. Praeterquam quod nobis ibi videbantur divisiones non paucae erronee indicatae. hoc generatim improbandum est hisce et similibus tabulis quod auctoris via plana, quam satis clare apparet eum in hac Summa liberiori et spontaneo ingressu percurrere voluisse absque minute praeconcepti schematis obsequio, semel atque iterum interrumpatur et obstruatur omnimodis infimis et subtilibus quae nimium adhuc scholam et artem redolent.

Cum ita res se habeant circa hanc Summam, nos schemata infraponenda accomodanda esse putamus diversae indoli utriusque Summae, diversaeque proinde methodo utrobique adhibitae in evolutione doctrinae. Processum igitur doctrinae referimus pro Summa Theologiae in strictiore illa forma analysis perpetuae; pro Summa contra Gentiles partim eodem modo, partim in liberiore forma descriptiva secundum quod nobis suadebat accuratior et diuturnior totius textus huiusque genesis introspectio. Ceterum, dato reapse liberiore doctrinae cursu in Summa contra Gentiles, cuivis perito integrum sit alio meliore concinnioreque forte schemate stringere compositionem libri ad mentem Auctoris.

20. - Superest ut brevi aliqua subiungamus de aspectu technico-compositorio et typographico tabularum nostrarum. Finis praecipuus intentus in tabulis est ut, pro utraque Summa suo proprio modo, cognoscantur ex conspectu summario et perspicuo tum compositio systematica totius operis, tum locus proprius cuiusvis quaestionis in processu doctrinae. Quamobrem ne in Summa Theologiae nimia prolixitas tabularum perspicuitati deroget, earum campus limitatur ad omnes et solas quaestiones, excluduntur igitur singuli articuli in quos quaestiones dividuntur. Tabulae Summae contra Gentiles referunt ut iam diximus cursum doctrinae modo potius descriptivo quam analytico, non assumuntur omnia capitula proprio titulo plene adscripto, nec semper secundum eorum ordinem numericum. Quandoque e. g. simul mentio fit de aliqua doctrina, de obiectionibus in contrarium et de responsionibus, etiam si haec tria localiter distent in serie capitulorum.

Tabulas ita componere conati sumus ut studiosis eluceant divisiones principaliores. Idcirco ne subdivisiones inferiores et infimae suo numero nec opprimant superiores nec tabulae perspicuitati noceant, in tabulis quae hic immediate infra posuimus sub materiae alicuius divisionibus principalibus non recepimus nisi quinas vel senas priores subdivisiones, remittentes lectorem pro divisionibus ulterioribus, si quae adsint, ad alium locum hoc quidem pacto quod studiosus ibi continuatam et omnino terminatam inveniet divisionem conceptus initialis usque ad ultimum membrum. Hoc modo efficitur ut quaecumque quaestio particularis cum doctrinis circumstantibus inveniatur in ipsa prima tabula aut saltem ex ea per unam tantum remissionem ad alium locum.

Ad distinguendum et numerandum divisiones et successivas subdivisiones utimur vicissim litteris et numeris, quibus accedunt quaedam artificia typographica ut impressio characteribus crassioribus, minor maiorve retrocessio initii linearum, etc., moderate tamen ne quid derogetur placido illo ornatoque aspectui compositionis typographicae quam ubique retinere valde decet solemnem nostram editionem leoninam.

Divisio principalis indicatur per numeros romanos maiores et crassiores **I II III IV** etc.
prima subdivisio per litteras crassiores **A B C D** etc.
secunda per numeros romanos I II III IV etc.
tertia per litteras minuscolas a b c d etc.
quarta per numeros arabos 1 2 3 4 etc.

Generatim non nisi cum serie 1, 2, 3, 4, quandoque cum serie a, b, c, d incipimus retrocessionem initii linearum. Plerumque istae divisiones sufficiunt; si minus, sistitur in aliquo conceptu principaliore et tabula continuatur alibi modo iam supra dicto, vel intercalavimus series A B C D et I II III IV inter secundam et tertiam subdivisionem.

Postremo, attenti fuimus ut quibus verbis S. Thomas usus est in dividendo materiam, in partes connectendo, eadem et nos adamussim retineremus prout fert compacta schematis forma.

CONSPECTUS SCHEMATICUS SUMMAE THEOLOGIAE

TABULAE PRINCIPALES

PARS PRIMA

De Deo

Introductio et divisio totius operis, cf. supra p. 285 Iª 1
Consideratio de Deo tripartita erit:

I. - primo considerabimus ea quae ad essentiam divinam pertinent Iª 2-26
Circa essentiam divinam considerandum est:
A. - primo, an Deus sit Iª 2
B. - secundo, quomodo Deus sit, vel potius quomodo non sit Iª 3-13
Circa hoc considerandum est:
I. - quomodo Deus sit (vel potius non sit) secundum seipsum Iª 3-11
Potest ostendi de Deo quomodo non sit, removendo ab eo ea quae ei non conveniunt, utpote compositionem, motum, et alia huiusmodi. Ergo inquiretur:
a. - primo, de simplicitate Dei Iª 3
Quia simplicia in rebus corporalibus sunt imperfecta et partes, inquiretur:
b. - secundo, de perfectione Dei Iª 4-6
Unumquodque secundum quod perfectum est, sic dicitur bonum, ideo:
1. - de ipsa perfectione Dei Iª 4
2. - de bono in communi Iª 5
3. - de bonitate Dei Iª 6
c. - tertio, de infinitate Dei Iª 7-8
1. - de ipsa infinitate Dei Iª 7
2. - de existentia Dei in omnibus rebus Iª 8
d. - quarto, de immutabilitate Dei Iª 9-10
1. - de ipsa immutabilitate Dei Iª 9
2. - de aeternitate Dei, quae immutabilitatem consequitur Iª 10
e. - quinto, de unitate Dei Iª 11
II - Considerato qualiter Deus sit secundum seipsum, restat considerare qualiter Deus sit in cognitione nostra, idest:
quomodo Deus a creaturis cognoscatur Iª 12
III. - Quia unumquodque nominatur a nobis secundum quod ipsum cognoscimus, ideo considerandum est:
de nominibus Dei Iª 13
C. - tertio, de his quae ad operationem Dei pertinent Iª 14-26
Et quia operatio quaedam est quae manet in operante, quaedam vero quae procedit in exteriorem effectum, primo agemus de scientia et voluntate, et postmodum de potentia Dei quae consideratur ut principium operationis divinae in effectum exteriorem procedentis.
I. - de his quae ad intellectum Dei pertinent Iª 14-18
a. - primo, de scientia Dei Iª 14-17
1. - de ipsa scientia Dei Iª 14
Quia rationes rerum in Deo cognoscente ideae vocantur,
2. - de ideis Iª 15
Quia scientia verorum est,
3. - de veritate Iª 16
4. - de falsitate Iª 17
Quia intelligere quoddam vivere est,
b. - secundo, de vita Dei Iª 18
II. - de his quae ad voluntatem Dei pertinent Iª 19-24
a. - prima consideratio est de ipsa voluntate Dei Iª 19
b. - secunda de his quae ad voluntatem absolute pertinent Iª 20-21
In parte autem appetitiva inveniuntur in nobis et passiones animae, ut gaudium, amor et huiusmodi; et habitus moralium virtutum, ut iustitia, fortitudo et huiusmodi. Unde considerabimus:
1. - de amore Dei Iª 20
2. - de iustitia et misericordia Dei Iª 21
c. - tertia de his quae ad intellectum in ordine ad voluntatem pertinent Iª 22-24
Huiusmodi autem est providentia quidem respectu omnium, praedestinatio vero et reprobatio, et quae ad haec consequuntur, respectu hominum specialiter, in ordine ad aeternam salutem. Nam et post morales virtutes, in scientia morali, consideratur de prudentia, ad quam providentia pertinere videtur.
1. - de providentia Dei Iª 22
2. - de praedestinatione Iª 23
3. - de libro vitae Iª 24
III. - de his quae ad potentiam Dei pertinent Iª 25
Ultimo (*conclusio totius tractatus de Deo uno*) post considerationem eorum quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, considerandum est:
de divina beatitudine Iª 26

II. - secundo, ea quae pertinent ad distinctionem Personarum Iª 27-43
Consideratis his quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, restat considerare de his quae pertinent ad trinitatem Personarum in divinis. Et quia Personae divinae secundum relationes originis distinguuntur, secundum ordinem doctrinae considerandum est:
A. - prius, de origine sive de processione Iª 27
B. - secundo, de relationibus originis Iª 28
C. - tertio, de Personis Iª 29-43
Praemissis his quae de processionibus et relationibus praecognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de Personis:
I. - secundum considerationem absolutam Iª 29-38
Oportet autem absolute de Personis considerare:
a. - primo, de Personis in communi Iª 29-32
Ad communem considerationem Personarum quatuor pertinere videntur:
1. - significatio huius nominis *persona* Iª 29
2. - numerus Personarum Iª 30
3. - ea quae consequuntur numerum Personarum vel ei opponuntur, ut diversitas et similitudo et huiusmodi Iª 31
4. - ea quae pertinent ad notitiam Personarum Iª 32
b. - deinde, de singulis Personis Iª 33-38
1. - de persona Patris Iª 33
2. - de persona Filii Iª 34-35
Attribuuntur tria nomina Filio, scilicet Filius, Verbum et Imago. Sed ratio Filii ex ratione Patris consideratur. Unde restat considerandum:
de Verbo Iª 34
de Imagine Iª 35
3. - de persona Spiritus Sancti Iª 36-38
Qui quidem non dicitur solum Spiritus Sanctus, sed etiam Amor et Donum Dei:
de nomine Spiritus Sancti Iª 36
de nomine Amoris Iª 37
de nomine Doni Iª 38
II. - secundum comparativam considerationem Iª 39-43
Post ea quae de Personis divinis absolute tractata sunt, considerandum restat de Personis in comparatione
a. - primo, ad essentiam Iª 39
b. - secundo, ad relationes sive proprietates Iª 40
c. - tertio, ad actus notionales Iª 41
d. - quarto, ad invicem Iª 42-43
1. - quantum ad aequalitem sive similitudinem Iª 42
2. - quantum ad missionem Iª 43

III. - tertio, ea quae pertinent ad processionem creaturarum a Deo Iª 44-119
Erit haec consideratio tripartita:
A. - primo, de productione creaturarum Iª 44-46
I. - quae sit causa prima entium Iª 44
II. - de modo procedendi creaturarum a prima causa qui dicitur creatio Iª 45
III. - de principio durationis rerum creatarum Iª 46
B. - secundo, de distinctione creaturarum Iª 47-102
Erit haec consideratio tripartita (*forte melius*: bipartita, et membrum secundum iterum bipartitum? *cf. prol. qu.* 47 *ad prol. q.* 48). Nam considerandum est:
I. - de distinctione rerum in communi Iª 47
II. - de distinctione boni et mali (*vel* de distinctione in speciali, iterum subdividendum bipartitim, *cf. prol. qu. 48*) Iª 48-49
a. - primo, de malo Iª 48
b. - secundo, de causa mali Iª 49
III. - de distinctione spiritualis et corporalis creaturae Iª 50-102
a. - primo, de creatura pure spirituali, sive de angelis, cf. ANGELUS p. 297 a Iª 50-64
b. - secundo, de creatura pure corporali, cf. CORPUS p. 298 a Iª 65-74
c. - tertio, de creatura composita ex corporali et spirituali, quae est homo, cf. HOMO p. 298 b. Iª 75-102
C. - tertio, de conservatione et gubernatione creaturarum Iª 103-119
I. - in communi Iª 103
II. - in speciali de effectibus gubernationis Iª 104-119
a. - primo, de primo effectu qui est conservatio creaturarum in esse (*cf. prol. qu. 105*) Iª 104
b. - deinde, de secundo effectu qui est mutatio creaturarum Iª 105-119
1. - de mutatione creaturarum a Deo Iª 105
2. - de mutatione unius creaturae ab alia Iª 106-119
Erit haec consideratio tripartita, ut consideremus:
quomodo angeli moveant, cf. ANGELUS p. 297 b Iª 106-114
quomodo corpora moveant Iª 115-116
de actione corporalis creaturae Iª 115
de fato, quod aliquibus corporibus attribuitur Iª 116
quomodo homines moveant Iª 117-119
de actione hominis Iª 117
de propagatione quantum ad animam Iª 118
de propagatione quantum ad corpus Iª 119

PARS SECUNDA

De motu rationalis creaturae in Deum
(cf. Iª prol. qu. 2)

(*Ex prologo Iae IIae*). Postquam praedictum est de exemplari, scilicet de Deo, et de his quae processerunt ex divina potestate secundum eius voluntatem, restat ut consideremus de eius imagine, idest de homine (cf. Iª prol. qu. 93: de fine sive termino productionis hominis, prout dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei) secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens et suorum operum potestatem (cf. p. 292 a (1)). Ubi considerandum occurrit:
I. - primo, de ultimo fine humanae vitae Iª IIae 1-5
Quia ultimus finis humanae vitae ponitur esse beatitudo, oportet considerare:
A. - primo, de ultimo fine in communi Iª IIae 1
B. - deinde, de beatitudine Iª IIae 2-5
I. - in quibus sit (*idest* consistat) Iª IIae 2
II. - quid sit Iª IIae 3-4
a. - primo, quid sit ipsa beatitudo Iª IIae 4
b. - secundo, quae exigantur ad beatitudinem Iª IIae 5
II. - deinde, de his per quae homo ad ultimum finem pervenire potest, vel ab eo deviare: ex fine enim oportet accipere rationes eorum quae ordinantur ad finem Iª IIae 6-114, et tota IIª IIae
Quia igitur ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire (cf. qu. 5 art. 7), oportet consequenter de humanis actibus considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitu-

dinem vel impediatur beatitudinis via. Sed quia operationes et actus circa singularia sunt, ideo omnis operativa scientia in particulari consideratione perficitur. Moralis igitur consideratio, quia est humanorum actuum, tradenda quidem est
primo, in universali Ia IIae 6-114
secundo, in particulari tota IIa IIae 1-189

PRIMO, DE ACTIBUS HUMANIS IN UNIVERSALI
Pars Ia IIae 6-114

Circa universalem autem considerationem humanorum actuum considerandum quidem occurrit:

I. - primo, de ipsis actibus humanis Ia IIae 6-48

Humanorum autem actuum quidam sunt hominis proprii; quidam autem sunt homini et aliis animalibus communes. Et quia beatitudo est proprium hominis bonum, propinquius se habent ad beatitudinem actus qui sunt proprie humani, quam actus qui sunt homini aliisque animalibus communes. Ergo considerandum est:

A. - primo, de actibus qui sunt proprii hominis Ia IIae 6-21

Circa primum duo consideranda occurrunt:
I. - de conditione humanorum actuum Ia IIae 6-17

Cum autem actus humani proprie dicantur qui sunt voluntarii, eo quod voluntas est rationalis appetitus, qui est proprius hominis, oportet considerare de actibus inquantum sunt voluntarii. Ergo considerandum est:
a. - primo, de voluntario et involuntario in communi Ia IIae 6-7

Et quia actus voluntarii habent quasdam circumstantias, secundum quas diiudicantur, considerandum est:
1. - de voluntario et involuntario Ia IIae 6
2. - consequenter, de circumstantiis ipsorum actuum in quibus voluntarium et involuntarium invenitur Ia IIae 7

b. - secundo, de actibus qui sunt immediate ipsius voluntatis quasi ab ipsa voluntate eliciti (*vel sic* secundo, de actibus voluntariis et involuntariis in speciali, Ia IIae 8-17 *subdividendum in nostrum* b *et* c, *cf. prol. qu. 6 et 8*) Ia IIae 8-16

Voluntas autem movetur et in finem et in ea quae sunt ad finem. Considerandum igitur est:
1. - de actibus voluntatis quibus voluntas movetur in finem Ia IIae 8-12

Actus autem voluntatis in finem videntur esse tres: scilicet velle, frui, et intendere. Ergo considerabimus:
de voluntate Ia IIae 8-10
quorum voluntas sit Ia IIae 8
a quo moveatur Ia IIae 9
quomodo moveatur Ia IIae 10
de fruitione Ia IIae 11
de intentione Ia IIae 12
2. - deinde de actibus voluntatis quibus movetur in ea quae sunt ad finem

Isti autem actus sunt tres: eligere, consentire et uti. Electionem autem praecedit consilium. Ergo considerandum est:
de electione Ia IIae 13
de consilio Ia IIae 14
de consensu Ia IIae 15
de usu Ia IIae 16

c. - tertio, de actibus qui sunt voluntarii quasi a voluntate imperati, qui sunt ipsius voluntatis mediantibus aliis potentiis Ia IIae 17
II. - de distinctione humanorum actuum (secundum bonitatem et malitiam, cf. prol. qu. 18) Ia IIae 18-21

Post hoc considerandum est de bonitate et malitia humanorum actuum, et
a. - primo, quomodo actio humana sit bona vel mala Ia IIae 18-20

Circa primum occurrit triplex consideratio:
1. - de bonitate et malitia humanorum actuum in generali Ia IIae 18
2. - de bonitate et malitia interiorum actuum Ia IIae 19
3. - de bonitate et malitia exteriorum actuum Ia IIae 20
b. - secundo, de his quae consequuntur ad bonitatem vel malitiam humanorum actuum, puta meritum vel demeritum, peccatum et culpa Ia IIae 21

B. - secundo, de actibus qui sunt homini aliisque animalibus communes, qui dicuntur animae passiones Ia IIae 22-48

Et considerandum est:
I. - de animae passionibus in generali Ia IIae 22-25

In generali autem quatuor occurrunt circa animae passiones consideranda:
a. - primo, de subiecto passionum Ia IIae 22
b. - secundo, de differentia passionum Ia IIae 23
c. - tertio, de bonitate et malitia passionum Ia IIae 24
d. - quarto, de comparatione passionum ad invicem Ia IIae 25
(*ita in textu, pro* c *et* d *ordinem inversum auctor annuntiavit in prol. qu. 22*)
II. - de animae passionibus in speciali, cf. PASSIO p. 300 b Ia IIae 26-48

II. - secundo, de principiis humanorum actuum Ia IIae 49-114

Post actus et passiones considerandum est de principiis humanorum actuum, et
A. - primo, de principiis intrinsecis actuum humanorum Ia IIae 49-89

Principium autem intrinsecum est potentia et habitus; sed quia de potentiis in Prima Parte (qu. 77-83, cf. HOMO p. 298 c) dictum est, nunc restat de habitibus considerandum.
I. - de habitibus in generali Ia IIae 49-54

Circa ipsos habitus in generali quatuor consideranda sunt:
a. - primo, de ipsa substantia habituum Ia IIae 49
b. - secundo, de subiecto habituum Ia IIae 50
c. - tertio, de causa habituum Ia IIae 51-53
1. - quantum ad generationem Ia IIae 51
2. - quantum ad augmentum Ia IIae 52
3. - quantum ad diminutionem et corruptionem Ia IIae 53
d. - quarto, de distinctione habituum Ia IIae 54
II. - de habitibus in speciali, idest de virtutibus et vitiis et aliis huiusmodi habitibus qui sunt humanorum principia Ia IIae 55-89

Et quia habitus ut dictum est (qu. 54 art. 5), distinguuntur per bonum et malum, dicendum est:
a. - primo, de habitibus bonis, qui sunt virtutes et alia eis adiuncta Ia IIae 55-70
1. - de virtutibus, cf. VIRTUS p. 301 c. Ia IIae 55-67
2. - de donis Spiritus Sancti Ia IIae 68
3. - de beatitudinibus Ia IIae 69
4. - de fructibus Spiritus Sancti Ia IIae 70
b. - secundo, de habitibus malis, seu de vitiis et peccatis, cf. PECCATUM p. 300 b Ia IIae 71-89

B. - secundo, de principiis extrinsecis actuum humanorum Ia IIae 90-114

Principium autem exterius ad malum inclinans est diabolus, de cuius tentatione in Primo (qu. 104) dictum est. Principium autem exterius movens ad bonum est Deus, qui et nos instruit per legem et iuvat per gratiam. Unde dicendum est:
I. - de lege, cf. LEX p. 299 c Ia IIae 90-108
II. - de gratia Ia IIae 109-114

Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo prout ab ipso per gratiam adiuvamur ad recte agendum. Et considerandum est:
a. - primo, de gratia Dei Ia IIae 109-111

Prima autem consideratio erit tripartita, nam considerabimus:
1. - de necessitate gratiae Ia IIae 109
2. - de ipsa gratia quantum ad eius essentiam Ia IIae 110
3. - de divisione gratiae Ia IIae 111
b. - secundo, de causa gratiae Ia IIae 112
c. - tertio, de effectibus gratiae Ia IIae 113-114
1. - de iustificatione impii, quae est effectus gratiae operantis Ia IIae 113
2. - de merito, quod est effectus gratiae cooperantis Ia IIae 114

SECUNDO, DE ACTIBUS HUMANIS IN PARTICULARI
Tota pars IIa IIae 1-189

(*Ex prologo IIae IIae*). Post considerationem de virtutibus et vitiis et aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare singula in speciali (*cf. Ia IIae prol. qu. 6*): sermones enim morales universales sunt minus utiles, eo quod actiones in particularibus sunt. Potest autem aliquid in speciali considerari circa moralia dupliciter: uno modo, ex parte ipsius materiae moralis, puta cum consideratur de hac virtute vel hoc vitio; alio modo quantum ad speciales status hominum, puta cum consideratur de subditis et praelatis, de activis et contemplativis, vel quibuscumque aliis differentiis hominum. Ergo considerabimus:

I. - primo, specialiter de his quae pertinent ad omnes hominum status IIa IIae 1-170

Est autem considerandum circa primum quod si seorsum determinaremus de virtutibus, donis, vitiis et praeceptis, oporteret idem multoties dicere.... Erit igitur compendiosior et expeditior considerationis via si simul sub eodem tractatu consideratio procedit de virtute et dono sibi correspondente et vitiis oppositis et praeceptis affirmativis vel negativis. Erit autem hic considerationis modus conveniens ipsis vitiis secundum propriam speciem: ostensum enim est supra (Ia IIae qu. 72) quod vitia et peccata diversificantur specie secundum materiam vel obiectum, non autem secundum alias differentias peccatorum, puta cordis, oris et operis, vel secundum infirmitatem, ignorantiam et malitiam, et alias huiusmodi differentias; est autem et eadem materia circa quam et virtus recte operatur et vitia opposita a rectitudine recedunt.

Sic igitur tota materia morali ad considerationem virtutum reducta, omnes virtutes sunt ulterius reducendae ad septem: quarum tres sunt theologicae, de quibus *primo* est agendum (IIa IIae qu. 1-46); aliae vero quatuor sunt cardinales, de quibus *posterius* agetur (IIa IIae qu. 47-170).

Virtutum autem intellectualium una quidem est prudentia, quae inter cardinales virtutes continetur et numeratur; ars vero non pertinet ad moralem quae circa agibilia versatur, cum ars sit recta ratio factibilium, ut supra (Ia IIae qu. 57 art 3, 4) dictum est; aliae vero tres intellectuales virtutes, scilicet sapientia, intellectus et scientia communicant etiam in nomine cum donis quibusdam Spiritus Sancti, unde simul etiam de eis considerabitur in consideratione donorum virtutibus correspondentium. Aliae vero virtutes morales omnes aliqualiter reducuntur ad virtutes cardinales ut ex supradictis (Ia IIae qu. 61 art. 3) patet: unde in consideratione alicuius virtutis cardinalis considerabuntur etiam omnes virtutes ad eam qualitercumque pertinentes et vitia opposita. Et sic nihil moralium erit praetermissum.

A. - primo, de virtutibus theologicis IIa IIae 1-46

Circa virtutes igitur theologicas erit considerandum:
I. - de fide, cf. FIDES p. 298 a IIa IIae 1-16
II. - de spe, cf. SPES p. 301 b IIa IIae 17-22
III. - de caritate, cf. CARITAS p. 297 c IIa IIae 23-46

Consequenter post virtutes theologicas considerandum est circa virtutes cardinales:
B. - secundo, de virtutibus cardinalibus IIa IIae 47-170
I. - de prudentia, cf. PRUDENTIA p. 301 a IIa IIae 47-56
II. - de iustitia, cf. IUSTITIA p. 299 a IIa IIae 57-122
III. - de fortitudine, cf. FORTITUDO p. 298 b IIa IIae 123-140
IV. - de temperantia, cf. TEMPERANTIA p. 301 b IIa IIae 141-170

II. - secundo, specialiter de his quae pertinent ad determinatos status IIa IIae 171-189

Postquam dictum est de singulis virtutibus et vitiis quae pertinent ad omnium hominum conditiones et status, nunc considerandum est de his quae specialiter ad aliquos homines pertinent. Invenitur autem differentia inter homines secundum ea quae ad habitus et actus animae rationalis pertinent, tripliciter:
A. - uno quidem modo secundum diversas gratias gratis datas IIa IIae 171-178

Est autem attendendum circa gratias gratis datas, de quibus occurrit consideratio prima, quod:
I. - quaedam eorum pertinent ad cognitionem IIa IIae 171-175

Omnia vero quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt... Et ideo occurrit considerandum:
a. - primo, de prophetia IIa IIae 171-174

De prophetia autem quadruplex consideratio occurrit:
1. - de essentia prophetiae IIa IIae 171
2. - de causa prophetiae IIa IIae 172
3. - de modo propheticae cognitionis IIa IIae 173
4. - de divisione prophetiae IIa IIae 174
b. - secundo, de raptu, qui est quidam prophetiae gradus IIa IIae 175
II. - quaedam gratiae gratis datae pertinent ad locutionem IIa IIae 176-177
Considerandum est:
a. - primo, de gratia linguarum IIa IIae 176
b. - secundo, de gratia sermonis sapientiae et scientiae IIa IIae 177
III. - quaedam gratiae gratis datae pertinent ad operationem, seu de gratia miraculorum IIa IIae 178
B. - alia vero differentia est secundum diversas vitas, activam scilicet et contemplativam, quae accipitur secundum diversa operationum studia IIa IIae 179-182
I. - de divisione vitae per activam et contemplativam IIa IIae 179
II. - de vita contemplativa IIa IIae 180
III. - de vita activa IIa IIae 181
IV. - de comparatione vitae activae ad contemplativam IIa IIae 182
C. - tertio modo differentia est secundum diversitatem officiorum et statuum IIa IIae 183-189
Circa hoc considerandum est:
I. - de officiis et statibus hominum in generali IIa IIae 183
II. - specialiter de statu perfectorum IIa IIae 184-189
Considerandum est de his quae pertinent ad statum perfectionis, ad quem alii status ordinantur. Nam consideratio officiorum quantum quidem ad alios actus pertinet ad legispositores; quantum autem ad sacra ministeria pertinet ad considerationem Ordinum, de quibus in Tertia Parte (cf. Suppl. qu. 34-40) agetur.
Circa statum autem perfectorum triplex consideratio occurrit:
a. - primo, de statu perfectionis in communi IIa IIae 184
b. - secundo, de his quae pertinent ad perfectionem episcoporum IIa IIae 185
c. - tertio, de his quae pertinent ad perfectionem religiosorum IIa IIae 186-189
Circa hoc occurrit quadruplex consideratio:
1. - de his in quibus principaliter consistit religionis status IIa IIae 186
2. - de his quae religiosis licite convenire possunt IIa IIae 187
3. - de distinctione religionum IIa IIae 188
4. - de religionis ingressu IIa IIae 189

PARS TERTIA

De Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum
(cf. Ia prol. qu. 2)

(*Ex prologo IIIae*). Quia Salvator noster Dominus Jesus Christus, teste Angelo, populum suum salvum faciens a peccatis eorum (Matth. I 21), viam veritatis nobis in seipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitae resurgendo pervenire possimus, necesse est ut, ad consummationem totius theologici negotii, post considerationem ultimi finis humanae vitae et virtutum ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore ac beneficiis eius humani generi praestitis nostra consideratio subsequatur. Circa quam considerandum occurrit:

I. - primo, de ipso Salvatore IIIa 1-59
Circa primum duplex consideratio occurrit:
A. - prima est de ipso incarnationis mysterio secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo IIIa 1-26
Circa primum tria consideranda occurrunt:
I. - de convenientia incarnationis ipsius IIIa 1
II. - de modo unionis Verbi incarnati IIIa 2-15
A. - primo, quantum ad ipsam unionem IIIa 2
B. - secundo, quantum ad personam assumentem IIIa 3
C. - tertio, quantum ad naturam assumptam IIIa 4-15
Circa hoc considerandum occurrit:
1. - de his quae sunt a Verbo Dei assumpta IIIa 4-6
Assumpsit autem Filius Dei humanam naturam et partes eius. Unde circa primum triplex consideratio occurrit:
a. - prima est quantum ad ipsam naturam humanam IIIa 4
b. - secunda est quantum ad partes ipsius IIIa 5
c. - tertia, quantum ad ordinem assumptionis IIIa 6
II. - de coassumptis a Filio Dei in humana natura, quae sunt perfectiones et defectus IIIa 7-15
a. - primo, de his quas pertinent ad perfectionem IIIa 7-13
Circa primum consideranda sunt tria:
1. - de gratia Christi IIIa 7-8
De gratia autem Christi considerandum est dupliciter:
de gratia eius secundum quod est singularis homo IIIa 7
de gratia eius secundum quod est caput Ecclesiae IIIa 8
2. - de scientia Christi III 9-12
Circa quam duo consideranda sunt:
quam scientiam Christus habuerit IIIa 9
de unaquaque scientiarum ipsius IIIa 10-12
Considerandum est de qualibet scientiarum Christi, scilicet divina, beata, indita vel infusa, acquisita; sed quia de scientia divina dictum est in Prima Parte (qu. 14), restat nunc videre de aliis. - Quia de scientia beata, quae in Dei visione consistit plura dicta sunt in Prima Parte (qu. 12), ideo hic sola illa videntur dicenda quae pertinent ad animam Christi.
de scientia beata IIIa 10
de scientia indita vel infusa IIIa 11
de scientia acquisita vel experimentali IIIa 12
3. - de potentia Christi IIIa 13
b. - secundo, de his quae pertinent ad defectus IIIa 14-15
1. - de defectibus corporis quos Christus in humana natura assumpsit IIIa 14
2. - de defectibus animae quos assumpsit IIIa 15
III. - de his quae consequuntur ad unionem Verbi incarnati IIIa 16-26
a. - primo, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum se IIIa 16-19
Circa primum duplex consideratio occurrit:
1. - de his quae conveniunt Christo secundum esse et fieri IIIa 16
2. - de his quae conveniunt Christo secundum rationem unitatis IIIa 17-19
Considerandum est de unitate in Christo in communi. Nam de his quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est: sicut supra (qu. 9) determinatum est quod in Christo non una est tantum scientia; et infra (qu. 35 art. 2) determinabitur quod in Christo non est una tantum nativitas. Considerandum est ergo de unitate Christi
quantum ad esse IIIa 17
quantum ad velle IIIa 18
quantum ad operari IIIa 19
b. - de his quae conveniunt Christo per comparationem ad Patrem IIIa 20-24
Quorum quaedam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem: puta quod est ei subiectus, quod ipsum oravit, quod ei in sacerdotio ministravit. Quaedam vero dicuntur, vel dici possunt, secundum habitudinem Patris ad ipsum: puta si Pater eum adoptasset, et quod eum praedestinavit. Considerandum est ergo:
1. - de subiectione Christi ad Patrem IIIa 20
2. - de oratione Christi IIIa 21
3. - de sacerdotio Christi IIIa 22
4. - an adoptio Christo conveniat IIIa 23
5. - de praedestinatione Christi IIIa 24
c. - tertio, de his quae conveniunt Christo quantum ad nos IIIa 25-26
1. - de adoratione Christi qua scilicet nos eum adoramus IIIa 25
2. - de hoc quod Christus est mediator noster ad Deum IIIa 26
B. - secunda, de his quae per ipsum Salvatorem nostrum, idest Deum incarnatum, sunt acta et passa IIIa 27-59
Post praedicta, in quibus de unione Dei et hominis et de his quae unionem sequuntur, tractatum est, restat considerandum de his quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita fecit vel passus est. Quae quidem consideratio tripartita erit. Nam considerabimus:
I. - de his quae pertinent ad ingressum eius in mundum IIIa 27-39
Circa primum quatuor consideranda occurrunt:
a. - primo, de conceptione Christi IIIa 27-34
Circa conceptionem autem eius oportet aliqua considerare:
1. - quantum ad matrem concipientem IIIa 27-30
Ex parte autem matris occurrunt quatuor consideranda:
de sanctificatione eius IIIa 27
de virginitate eius IIIa 28
de desponsatione eius IIIa 29
de annuntiatione ipsius, vel de praeparatione ipsius ad concipiendum IIIa 30
2. - quantum ad modum conceptionis IIIa 31-33
Considerandum est de ipsa conceptione Salvatoris:
quantum ad materiam de qua corpus eius conceptum est IIIa 31
quantum ad conceptionis auctorem, idest de principio activo in conceptione Christi IIIa 32
quantum ad modum et ordinem conceptionis IIIa 33
3. - quantum ad perfectionem prolis conceptae IIIa 34
b. - secundo, de nativitate Christi IIIa 35-36
1. - quantum ad ipsam nativitatem IIIa 35
2. - quantum ad nati manifestationem IIIa 36
c. - tertio, de circumcisione Christi IIIa 37
Quia circumcisio est quaedam professio legis observandae, secundum illud Galat. V *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae*, simul cum hoc quaerendum est de aliis legalibus circa puerum Christum observatis.
d. - quarto, de baptismo Christi IIIa 38-39
Quia Christus baptizatus est baptismo Ioannis, considerandum est:
1. - de baptismo Ioannis in communi IIIa 38
2. - de baptizatione Christi IIIa 39
II. - de his quae pertinent ad processum vitae Christi in hoc mundo IIIa 40-45
Consequenter post ea quae pertinent ad ingressum Christi in mundum vel ad eius principium, considerandum restat de his quae pertinent ad progressum ipsius. Et considerandum est:
a. - primo, de modo conversationis Christi IIIa 40
b. - secundo, de tentatione Christi IIIa 41
c. - tertio, de doctrina Christi IIIa 42
d. - quarto, de miraculis Christi IIIa 43-45
1. - de miraculis Christi in generali IIIa 43
2. - de singulis miraculorum generibus IIIa 44
3. - in particulari de transfiguratione Christi IIIa 45
III. - de his quae pertinent ad exitum Christi de hoc mundo IIIa 46-52
a. - primo, de passione Christi IIIa 46-49
Circa passionem Christi occurrit triplex consideratio:
1. - de ipsa passione IIIa 46
2. - de causa efficiente passionis IIIa 47
3. - de fructu passionis IIIa 48-49
de modo efficiendi IIIa 48
de ipso effectu IIIa 49
b. - secundo, de morte Christi IIIa 50
c. - tertio, de sepultura Christi IIIa 51
d. - quarto, de descensu Christi ad inferos IIIa 52
IV. - de his quae pertinent ad exaltationem Christi post hanc vitam IIIa 53-59
a. - primo, de resurrectione Christi IIIa 53-56
Circa primum occurrit quadruplex consideratio:
1. - de ipsa Christi resurrectione IIIa 53
2. - de qualitate Christi resurgentis IIIa 54

3. - de manifestatione resurrectionis Christi IIIª 55
4. - de causalitate resurrectionis Christi IIIª 56
b. - secundo, de ascensione Christi IIIª 57
c. - tertio, de sessione Christi ad dexteram Patris IIIª 58
d. - quarto, de iudiciaria potestate Christi IIIª 59

II. - secundo, de sacramentis Salvatoris nostri quibus salutem consequimur IIIª 60 sqq.

Post considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis, quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent. Et consideratio
A. - prima erit de sacramentis in communi IIIª 60-65
Circa primum quinque consideranda sunt:
I. - quid sit sacramentum IIIª 60
II. - de necessitate sacramentorum IIIª 61
III. - de effectibus sacramentorum IIIª 62-63
a. - primo, de effectu principali sacramentorum qui est gratia IIIª 62
b. - secundo, de effectu secundario sacramentorum qui est character IIIª 63
IV. - de causis sacramentorum, sive per auctoritatem sive per ministerium IIIª 64
V. - de numero sacramentorum IIIª 65
B. - secunda, de unoquoque sacramentorum in speciali IIIª 66-90; Suppl. 1-68
Considerandum est de singulis sacramentis in speciali:
I. - de baptismo IIIª 66-71
Circa primum occurrit duplex consideratio:
a. - prima, de ipso baptismo IIIª 66-69
Circa primum quatuor consideranda occurrunt:
1. - de his quae pertinent ad sacramentum baptismi IIIª 66
2. - de ministro baptismi IIIª 67
3. - de recipientibus baptismum IIIª 68
4. - de effectu baptismi IIIª 69
b. - secunda, de praeparatoriis baptismi IIIª 70-71
1. - de praeparatorio quod praeparat baptismum, scilicet de circumcisione IIIª 70
2. - de praeparatoriis quae currunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo et exorcismo IIIª 71
II. - de confirmatione IIIª 72
III. - de Eucharistia IIIª 73-83
a. - primo, de ipso sacramento Eucharistiae IIIª 73
b. - secundo, de materia Eucharistiae IIIª 74-77
1. - de specie materiae IIIª 74
2. - de conversione panis et vini in corpus Christi IIIª 75
3. - de modo existendi corporis Christi in hoc sacramento IIIª 76
4. - de accidentibus panis et vini quae in hoc sacramento remanent IIIª 77
c. - tertio, de forma Eucharistiae IIIª 78
d. - quarto, de effectu Eucharistiae IIIª 79
e. - quinto, de recipientibus Eucharistiae sacramentum, idest de usu sive sumptione huius sacramenti IIIª 80-81
1. - in communi IIIª 80
2. - quomodo Christus est usus hoc sacramento IIIª 81
f. - sexto, de ministro Eucharistiae IIIª 82
g. - septimo, de ritu Eucharistiae IIIª 83
IV. - de poenitentia IIIª 84-90; Suppl. 1-28
Circa hoc sacramentum considerandum est:
a. - primo, de ipsa poenitentia IIIª 84-85
Circa primum duo sunt consideranda:
1. - de poenitentia secundum quod est sacramentum IIIª 84
2. - de poenitentia secundum quod est virtus IIIª 85
b. - secundo, de effectu poenitentiae IIIª 86-89
1. - quantum ad remissionem peccatorum mortalium IIIª 86
2. - quantum ad remissionem peccatorum venialium IIIª 87
3. - quantum ad reditum peccatorum dimissorum IIIª 88
4. - quantum ad restitutionem virtutum IIIª 89
c. - tertio, de partibus poenitentiae *incipit* IIIª 90
1. - in generali IIIª 90
Per mortem sanctissimi Doctoris post qu. 90 imperfecta remanebat Summa Theologiae ad cuius complementum secundum ipsum auctorem adhuc consideranda erant sequentes materiae:
2. - de partibus poenitentiae in speciali cf. prol. qu. 90
d. - quarto, de suscipientibus poenitentiam cf. prol. qu. 84
e. - quinto, de potestate ministrorum cf. prol. qu. 84
f. - sexto, de solemni ritu poenitentiae cf. prol. qu. 84
V. - de extrema unctione cf. prol. qu. 66
VI. - de Ordine » »
VII. - de matrimonio » »

III. - tertio, de fine immortalis vitae ad quem per Salvatorem resurgendo pervenimus cf. prol. qu. 1

Alius auctor, de cuius nomine hucusque nondum certe constat ex documentis historicis, motus sane magis pietatis sensu quam viribus praeditus huic oneri suscipiendo paribus, has materias supplere conatus est ex alio opere S. Thomae, scilicet ex eius commentario in librum IV Sententiarum Magistri Petri Lombardi, adaptando commentarii materiam in formam et methodum Summae Theologiae continuatae: officium revera haud leve nec facile, maximam sane requirens prudentiam, circumspectionem, ingenium subtile analyzandi artis peritum. Quod tamen parum feliciter compilatori succedisse fatendum est. Ut de aliis taceam quae uberrima copia decessor noster de hac re dissertatus est in Supplementi praefatione (Tom. XII, pars altera p. I-XLVIII), non abs re erit brevi aliqua speciminis causa hic referre ex iudicio ibi prolato de analysibus Supplementi.

« Compilator nimis prope ad Summam accedere tentavit. Potuisset Supplementi quaestiones sine nexu iuxta se ponere, naturali quodam ordine servato; quod ei melius fuisset: nam labor supra vires arduus ei manebat, quando eas invicem una perpetua analysi coniungere proponebat sicque sibi necessitatem imposuit imitandi S. Doctorem qua parte omnium maxime inimitabilis est. Cum enim Magistri distinctiones scopo suo obstarent et analyses S. Thomae ab ipsis necessario imperatae parum utiles essent, novas analyses quibus quaestiones a Commentario avulsae proprio logico nexu, vere et clare viso, sententia brevi et lucida praecise enuntiato, cohaererent, e proprio ingenio conficere coactus est. Res altius ingenium exigit quam ut Compilatori pro voto cederet, qui nec analytices scientia nec requisitae dotis conscientia se instructum ostendit (l. c. p. III n. 6) ». — « Tali homini accidere potuit ut operis imperfecti novas petias auctas vellet Additionibus ex sibi noto commentario. Non video quid homini levis ingenii, qualem se in nota critica et in textu monstravit, obstaret ne crederet facile esse Summam ex materia praeiacente complere, et methodum Summae imitari, remque brevissimo tempore fieri posse. A tali viro expectari possunt analyses fatuae, quia vix sciebat analyzare aliud esse quam materias disputandas praenotare. Inde quod circa citationes litterae Magistri nullo consilio agit. Inde est quod prae festinatione scripturam codicis Commentarii veloci oculo partim legens partim coniecturans, calamo continue in peius ruente, omnium scriptorum pessimum se ostendit (l. c. p. XX n. 57) ».

Videant ibidem illi quorum interest documenta singula imperitiae Compilatoris Supplementi. Nobis qui hic ob aliorum, iuniorum praecipue, instructionem analysim utriusque Summae in forma perspicua componere voluimus, ex qua nimirum facilius ingenium et artem S. Thomae ediscant, rationes allatae obstant quominus hoc eodem loco analysim subiungamus Supplementi, ac si tale schema esset vel utcumque haberi posset quaedam satis apta, nedum digna et aequivalens, continuatio et complementum schematis IIIªᵉ Partis ab ipso S. Thoma concepti. - Attamen principalium materiarum Supplementi infra sub proprio verbo ad locum suum alphabeticum analyses damus; vide POENITENTIA, MATRIMONIUM, RESURRECTIO p. 300, 301.

TABULAE AUXILIARIAE

ANGELUS

De angelis Iª 50-64
Circa angelos considerandum est:
I. - de his quae pertinent ad angelorum substantiam Iª 50-53
a. - absolute Iª 50
b. - per comparationem ad corporalia Iª 51-53
1. - de comparatione ad corpora Iª 51
2. - ad loca corporalia Iª 52
3. - ad motum localem Iª 53
II. - de his quae pertinent ad angelorum intellectum Iª 54-58
Haec consideratio erit quadripartita, nam considerandum est:
a. - de his quae pertinent ad virtutem cognoscitivam angeli Iª 54
b. - de his quae pertinent ad medium cognoscendi ipsius Iª 55
c. - de his quae ab eo cognoscuntur Iª 56-57
1. - de cognitione rerum immaterialium Iª 56
2. - de cognitione rerum materialium Iª 57
d. - de modo cognitionis ipsorum Iª 58
III. - de his quae pertinent ad voluntatem angelorum Iª 59-60
a. - de ipsa voluntate Iª 59
b. - de motu eius qui est amor sive dilectio Iª 60
IV. - de his quae pertinent ad creationem angelorum, sive universaliter de eorum exordio Iª 61-64
Haec consideratio erit tripartita. Nam considerabimus:
a. - quomodo producti sunt in esse naturae Iª 61
b. - quomodo perfecti sunt in gratia vel gloria Iª 62
c. - quomodo aliqui ex eis facti sunt mali
1. - quantum ad malum culpae Iª 63
2. - quantum ad malum poenae Iª 64

Quomodo angeli moveant creaturas Iª 106-114
Circa hoc tria consideranda occurrunt:
I. - quomodo angelus agat in angelum Iª 106-109
a. - de illuminatione angelorum Iª 106
b. - de locutione angelorum Iª 107
c. - de ordinatione angelorum ad invicem Iª 108-109
1. - tam bonorum Iª 108
2. - quam malorum Iª 109
II. - quomodo angelus agat in creaturam corporalem Iª 110
III. - quomodo angelus agat in homines Iª 111-114
a. - quantum possint eos immutare sua virtute naturali Iª 111
b. - quomodo mittantur a Deo ad ministerium hominum Iª 112
c. - quomodo boni angeli custodiant homines Iª 113
d. - (quomodo mali angeli impugnent homines, seu) de impugnatione daemonum Iª 114

CARITAS

De caritate IIª IIªᵉ 23-46
I. - primo, de ipsa caritate IIª IIªᵉ 23-44
Circa primum consideranda sunt quinque:
A. - primo, de ipsa caritate IIª IIªᵉ 23-24
Circa primum est duplex consideratio:

b. - quantum ad conservationem speciei Ia 98-101
1. - de ipsa generatione Ia 98
2. - de conditione prolis genitae Ia 99-101
quantum ad corpus Ia 99
quantum ad iustitiam Ia 100
quantum ad scientiam Ia 101
D. - **quarto,** de loco hominis primo producti Ia 102

IUSTITIA

De iustitia IIa IIae 57-122
Circa quam quadruplex consideratio occurrit:

I. - prima, de iustitia IIa IIae 57-60
Circa iustitiam consideranda sunt quatuor:
A. - de iure IIa IIae 57-60
B. - de ipsa iustitia IIa IIae 58
C. - de iniustitia IIa IIae 59
D. - de iudicio IIa IIae 60

II. - secunda, de partibus iustitiae IIa IIae 61-120
A. - **primo,** *de partibus subiectivis quae sunt species iustitiae,* scilicet distributiva et commutativa IIa IIae 61-78
Circa primum occurrit duplex consideratio:
I. - de ipsis iustitiae partibus subiectivis IIa IIae 61-62
Et quia restitutio videtur esse actus commutativae iustitiae, considerandum est:
A. - de distinctione iustitiae commutativae et distributivae IIa IIae 61
B. - de restitutione IIa IIae 62
II. - de vitiis oppositis partibus subiectivis iustitiae IIa IIae 63-78
A. - de acceptatione personarum, quae opponitur iustitiae distributivae IIa IIae 63
B. - de peccatis quae opponuntur iustitiae commutativae IIa IIae 64-78
I. - de peccatis quae committuntur circa involuntarias commutationes IIa IIae 64-76
Committuntur autem peccata circa involuntarias commutationes per hoc quod aliquod nocumentum proximo infertur contra eius voluntatem, quod quidem potest fieri dupliciter, scilicet:
a. - nocumentum proximo illatum per facta IIa IIae 64-66
Facto quidem, cum proximus laeditur vel in persona propria, vel in persona coniuncta (*cf. qu. 65 art. 4*), vel in propriis rebus. De his ergo per ordinem considerandum est:
1. - de homicidio, per quod maxime nocetur hominibus IIa IIae 64
2. - de peccatis aliarum iniuriarum quae in personam committuntur IIa IIae 65
3. - de peccatis per quae infertur nocumentum proximo in rebus, scilicet de furto et rapina IIa IIae 66
b. - nocumentum proximo illatum per verba IIa IIae 67-76
1. - de nocumentis quae pertinent ad iudicium IIa IIae 67-71
Circa primum quinque consideranda occurrunt:
de iniustitia iudicis in iudicando IIa IIae 67
de iniustitia accusatoris in accusando IIa IIae 68
de iniustitia ex parte rei in sua defensione IIa IIae 69
de iniustitia testis in testificando IIa IIae 70
de iniustitia advocati in patrocinando IIa IIae 71
Ad electionem quod attinet elementorum intra proprios terminos huius indicis, quicumque iam ex modica tantum experientia cognovit abundantiam concinne et praeclare dictorum apud S. Thomam, etiam ubi obiter de aliqua re loquitur, facile intelligit elementa assumenda in hoc indice selegi non potuisse iisdem criteriis mathematico fere rigore applicatis quibus confecimus priorem indicem materiarum.

Forte nonnullis iuxta copiam revera variegatam uberrimamque elementorum ad universaliora principia philosophiae et theologiae pertinentium placuisset maior adhuc abundantia in sententiis concretis de re morali, e.g. de passionibus, de virtutibus et vitiis. Sed considerandum talia ex ipsa eorum concretione facilius et abundantius ope prioris indicis in proprio loco inveniri posse quam abstractiora et universaliora principia quae rarius quidem ex proposito tractantur, ad quorum tamen usum et explicationem per modum transeuntis Sancto Doctori frequentissimam ansam praebent materiae multae et diversae.

Quamvis in praesenti elencho ex Summa contra Gentiles adsint elementa iam numero plurimo, facile repetito examine multa ibi praeclare et concinne dicta adinveniri possunt. Quod et libenter fecissemus, cum maior cognitio doctrinae Summae contra Gentiles sit una nec ultima ratio intimae permixtionis

indicum utriusque Summae in hoc Tomo. Acerba necessitas fecit ut ulterioris perfectionis desideria pium votum remanserint. Valde speramus diversorum collaboratorum successionem, collaborationem et mutuam perpetuam correctionem reapse mitigare potuisse periculum nimiae subiectivae selectionis elementorum, notatum iam supra p. 284 *b*.

2. — Compositio et ordo elementorum generatim statuta sunt hoc modo quod singula elementa sicut excerpta sunt, ita etiam in hoc indice remanent, elementa nempe separata, singula posita in nova linea, sibi invicem succedentia secundum ordinem partium, quaestionum et articulorum utriusque Summae. Cum enim loci quibus S. Thomas expressiori modo de aliqua re tractat, iam indicati sint in praecedenti indice materiarum cum tabulis analyticis quae illico docent proprium rei locum in systemate thomistico, parum utilitatis nullamque necessitatem habere videtur elementis undequaque excerptim collectis adhuc imponere divisionem secundum rigorosam logicam conceptuum analysim. Generatim igitur sub una eademque voce alphabetica non amplius habetur elementorum distributio analytica per series, sed quando magnus eorum numerus id suadet, introducimus aliqualem divisionem facilem et spontaneam, quandoque mere alphabeticam, e.g. sub voce *Deus*. Ubi elementa ultra unam integram paginam sese extendunt, immediate sub voce alphabetica nominatim adducimus, si quae sint, subdivisiones.

3. — In descriptione minuta elementorum quandoque solum sensum, generatim autem ipsam litteram S. Thomae referimus, hinc inde tantum leviter et grammatice adaptatam novae formae separatae, si elementum ex longiore periodo excerptum est. Quamobrem iterum iterumque declaramus (cf. p. 284 *a*) has tabulas non conceptas a nobis, nec ab aliis igitur habendas esse ut *florilegia sententiarum*, sicut nec priorem elenchum materiarum partes agere voluimus cuiusdam promptuarii ceu *summarii doctrinae*, sed utrumque esse mere *indicem*, eumque uberrimum et fidum, locorum quos in propria sua sede adire cuique necessarium est qui exactam litteram S. Thomae cognoscere atque exscribere desideret.

Quando, non raro, uni elemento plures loci ex utraque Summa attribuuntur, sponte quivis intelliget S. Thomam non in omnibus locis indicatis eandem sententiam adamussim eadem littera et forma repetere. Si vero discrepantia superet illam leviorem ex diverso grammaticali contextu oriri solitam, de hoc per notulam *cf.* lectores certiores reddimus.

4. — In elementorum impressione singulas sententias nova linea distinguimus, sane non sine notabili spatii, pretiique igitur, augmento, sed certo etiam cum ingenti augmento claritatis in commoditatem pro multis oculo veloci columnas percurrentibus. Supra ceteras sententias efferre volumus adagia celeberrima, principia universaliora, definitiones vel regulas in schola valde tritas, et similia. Quamobrem talia litteris inclinatis imprimi iussimus. Insuper ut ad haec elementa elenchus locorum indicatorum paulo uberior et studiosis utilior evadat, hic nobismetipsis exceptionem permittimus supradictae legis supremae de non admittendis in isto indice locis iam facile ope prioris indicis inveniendis. Haud raro igitur notamus praesentiam alicuius adagii aut definitionis etiam in locis ex rigore superfluis utpote iam notatis in praecedenti indice. Minime tamen ex hoc deducatur nos dare voluisse systematicam enumerationem completam omnium locorum ubi forte tale adagium in utraque Summa occurrit. Ceterum, pars valde maior adagiorum inter uncinos adscriptum habet nomen sui primi, cogniti vel suppositi, auctoris. Cupienti igitur indagare exactius praesentiam alicuius adagii in duabus Summis (et etiam apud Commentatores et in notulis Editorum) sufficit ut unum tantum adeat ex locis indicatis, ibique in margine editionis Leoninae quaerat proprium locum adagii apud eius auctorem, deinde ope Indicum Auctoritatum in priore parte huius voluminis videat quoties et ubi eadem auctoritas citetur in Tomis nostris IV-XV.

Ultimo notamus elementa imprimis desumpta esse ex sententiis S. Thomae propriis, et generatim non ex illis quas ipse S. Thomas ex aliis auctoribus adducit. Si tamen harum pulcherrimas quasdam assumimus (nullam autem ex Sacra Scriptura, pro qua cf. in priore parte pp. 3-69), nomen auctoris inter uncinos addimus.

A

Bonum non indiget malo sed e converso Gent. III 146
Bonum causa mali esse non potest Gent. III 162

BONUM IN CONCRETO - Bonum per essentiam prius est bono per participationem Iª 3 2 co.
A primo bono sunt omnia bona Iª 3 7 arg. 1; Iª IIae 1 4 ad 1; IIIª 20 1 co.
Diversimode bona se habent ad bonitatem divinam Iª 19 12 ad 4
Esse cuiuslibet rei est quoddam bonum et similiter quaelibet perfectio eius Iª 20 2 co.; 48 1 co.
Bono perfecto opponitur quod sit aliquid de perfectione rei extra ipsum Iª IIae 1 5 ad 2
Illud bonum oportet esse completissimum quod tanquam ultimum finem appetit habens affectum bene dispositum Iª IIae 1 7 co.
Summum bonum quanto perfectius possidetur tanto ipsummet magis amatur et alia contemnuntur Iª IIae 2 1 ad 3
Non est nisi unum summum bonum scilicet Deus Iª IIae 5 2 co.
Omne bonum habitum quo quis carere vult, aut est insufficiens aut habet aliquod incommodum annexum Iª IIae 5 4 co.
Habere perfectum bonum sine motu convenit ei quod naturaliter habet illud Iª IIae 5 7 co.
Perfectum bonum est alicuius quod totaliter eius voluntati satisfacit Iª IIae 5 8 co.
Illud solum bonum quod est perfectum et cui nihil deficit, voluntas non potest non velle Iª IIae 10 2 co.
Bonum simpliciter est prius quam bonum contractum Iª IIae 25 1 sed c.
Ex defectu bonitatis contingit quod quaedam parva bona non possunt integre simul possideri a multis Iª IIae 28 4 ad 2
Bonum quod non est arduum, quasi nihil reputatur Iª IIae 40 1 ad 1
Bonum per se est bonum secundum speciem suam Iª IIae 42 6 ad 3
Bona propter delectationem promptius quaeruntur Iª IIae 59 3 co.
Requiritur quod aliquid sit in se bene dispositum, quod debet esse boni operativum Iª IIae 71 1 ad 2
Omne bonum quo quis magnificatur, est Dei beneficium Iª IIae 73 10 co.
De bono incommutabili et commutabili Iª IIae 87 4 co.; 88 1 ad 4
Hoc unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet Iª IIae 97 3 co.
Meliora bona particulariter in singulis sunt indeterminata; sed illa quae sunt simpliciter et absolute meliora bona in universali sunt determinata Iª IIae 108 4 ad 2
Habere quoddam bonum per se est nobilius quam habere illud per aliud IIIª 19 3 co.
Impedimenta quibus aliquod bonum per accidens impeditur, sunt infinita; sed causae corrumpentes aliquod bonum per se sunt determinatae sicut etiam causae constituentes Suppl. 50 1 ad 8
Non est inconveniens maius bonum impediri per minus bonum quod habet contrarietatem ad ipsum Suppl. 61 1 ad 2
Aliquod bonum potest intermitti dupliciter Suppl. 67 3 ad 5
Bonum aliquod fit nobis affinius cum habetur; quandoque autem contrarium per accidens accidit Gent. I 91
Summum bonum non est ad alterum Gent. III 31
Bonum unius fit multis commune si ab uno ad alia derivatur Gent. III 69

BONUM UNIVERSALE ET PARTICULARE - Bonum universale est ipse Deus Iª 60 5 co., ad 1; 105 4 co.; 106 2 co.; Iª IIae 9 6 co.
Creatura corporalis secundum suam naturam est bona, sed non bonum universale, sed quoddam bonum particulare et contractum Iª 65 1 ad 2; 103 2 co.
Sunt quaedam particularia bona quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, et quaedam quae habent Iª 82 2 co.
Bonum universale est quod est per se et per suam essentiam bonum; bonum particulare est quod est participative bonum Iª 103 2 co.
In omnibus particularibus bonis ratio potest considerare rationem boni alicuius et defectum alicuius boni Iª IIae 13 6 co.; 19 10 co.
In particularibus bonis duo sunt meliora quam unum, sed ei quod est essentialiter bonum non potest fieri aliqua additio bonitatis Iª 103 3 ad 3
Bonum universale est appetibilius quam aliquod particulare bonum Iª IIae 84 1 ad 2
Bonum particulare ordinatur ad bonum totius sicut ad finem Gent. I 86; III 17, 64
Particulare bonum dependet ex necessitate ex his quae ad ipsum absolute requiruntur, licet et hoc etiam habeat quaedam quae sunt propter melius ipsius Gent. I 86
Bonum particulare ordinatur in bonum commune sicut in finem Gent. III 17
Ad bonum ordinis totius universi ordinatur sicut ad finem omne particulare bonum huius vel illius rei Gent. III 64

BONITAS DEI, DIVINUM - cf. DEUS

BONITAS CREATURAE - Perfectio bonitatis non invenitur in uno simplici sed in multis Iª 3 7 ad 2; cf. Gent. III 71
Secundum illud tempus pensanda est bonitas eius qui amatur a Deo, secundum quod dandum est ei ex bonitate divina aliquod bonum Iª 20 4 ad 5

BONUM CREATUM - In rebus creatis invenitur bonum non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem et praecipue in finem ultimum Iª 22 1 co.
Nihil habet rationem boni nisi secundum quod participat Dei similitudinem Iª 44 4 ad 3; 105 5 co.; IIª IIae 23 2 ad 1; Gent. I 96; III 24
In se consideratum deficere potest, sed ex coniunctione perfecta ad bonum increatum adipiscitur quod peccare non possit Iª 62 8 ad 1
Est quoddam particulare bonum Iª 105 4 co.; Iª IIae 9 6 co.
Provenit ex voluntate divina Iª IIae 110 1 co.
Non excitat spirituale gaudium nisi quatenus refertur ad bonum divinum IIª IIae 9 4 ad 1
In omni composito bonum non est huius vel illius partis sed totius Gent. I 18
Quod non est bonum nisi secundum quod est moderatum, non est secundum se bonum, sed accipit bonitatem a moderante Gent. III 27
Derivatum est secundum quandam similitudinem a bonitate divina Gent. III 95
Divinae bonitati comparatum exiguum invenitur Gent. IV 55

BONUM UNIVERSI - Illud quod est optimum in rebus existens, est bonum ordinis universi Iª 15 2 co.; 22 4 co.; 47 2 co.; Gent. III 64
A Deo creatum est Iª 22 1 co.
Bonum extrinsecum a toto universo est finis gubernationis rerum sicut habitum et repraesentatum Iª 103 2 ad 2, cf. co.
Bonum in universo existens non est ultimus finis, sed ordinatur ad bonum extrinsecum ut ad ultimum finem Iª 103 2 ad 3
Bonum commune totius universi est Deus Iª IIae 109 3 co.
Est maius quam bonum unius hominis Iª IIae 113 9 arg. 2; cf. ad 2
Dignius est quam bonum alicuius naturae singularis Suppl. 91 4 arg. 5
Bonum ordinis universi nobilius est qualibet parte universi Gent. I 70
Bonum et optimum universi consistit in ordine partium eius ad invicem Gent. II 39, cf. 42

BONUM SPECIEI - Praeponderat bono individui Iª 50 4 ad 3; Suppl. 41 2 arg. 3; 49 1 arg. 1
Quodlibet singulare naturaliter diligit plus bonum suae speciei quam bonum suum singulare Iª 60 5 ad 1

BONUM COMMUNE - In rebus humanis dirigere ad bonum commune est eius qui praeest multitudini Iª 105 4 co.
Est divinius et melius quam bonum unius (Arist.) Iª 108 6 co.; Iª IIae 97 4 arg. 1; 111 5 arg. 1; 113 9 arg. 2; IIª IIae 31 3 ad 2; 39 2 arg. 2, ad 2; 47 10 co.; 88 11 arg. 1; 124 3 arg. 3, 5 arg. 3; 141 8 co.; 152 4 arg. 3, ad 3; IIIª 1 4 co.; 65 3 arg. 1; Suppl. 40 6 co.; 41 2 arg. 3; 96 6 arg. 11; Gent. I 41; II 42; III 17, 69, 125, 136, 146
Praefertur bono singulari Iª IIae 83 1 ad 5; 105 3 arg. 5; IIª IIae 11 4 co.; 32 6 co.; 58 12 co.; 68 1 ad 3; 117 6 co.; 185 2 ad 1; Gent. III 71; cf. IIIª 42 2 co.
Dicitur finis communis Iª IIae 90 2 ad 2
Bonum unius hominis non est finis ultimus, sed ordinatur ad commune bonum Iª IIae 90 3 ad 3
Est necessarium ad conversationem humanam Iª IIae 91 4 co.
Potest esse duplex Iª IIae 91 5 co.
Constat ex multis Iª IIae 96 1 co.
Per bonam disciplinam cives informantur, ut commune bonum iustitiae et pacis conservent Iª IIae 96 3 co.
Secundum ordinem iustitiae et virtutis conservatur et ad ipsum pervenitur Iª IIae 100 8 co.
Uno modo omnes aestimant bonum commune se esse id quod sunt, alio modo non IIª IIae 25 7 co.
A principe civitatis totum bonum commune civitatis dependet IIª IIae 26 2 co.
Est magis amabile unicuique quam proprium bonum IIª IIae 26 4 ad 3; cf. 3 co., ad 2
Ad bonum societatis humanae plura sunt necessaria IIª IIae 40 2 co.
Ille qui quaerit bonum commune multitudinis, ex consequenti etiam quaerit bonum suum propter duo IIª IIae 47 10 ad 2
Bonum commune civitatis et bonum singulare unius personae non differunt solum secundum multum et paucum, sed secundum formalem differentiam IIª IIae 58 7 ad 2
Est finis singularium personarum in communitate existentium IIª IIae 58 9 ad 3
Per contemptum boni communis potest homo ad omnia peccata deduci IIª IIae 59 1 co.
Vita iustorum est conservativa et promotiva boni communis IIª IIae 64 6 co.
Publicae potestati committitur procuratio boni communis IIª IIae 65 1 ad 2
Fortitudo et iustitia ordinantur quodammodo in bonum commune, una tempore pacis, alia tempore belli IIª IIae 117 6 co.
Ea quae pertinent ad bonum commune oportet diversimode dispensari IIª IIae 122 1 ad 3
Bonum reipublicae est praecipuum inter bona humana IIª IIae 124 5 ad 3
In rebus humanis est aliquod bonum commune quod quidem est bonum civitatis vel gentis Gent. III 80

BONUM HOMINIS - Multi perfectum hominis bonum existimant divitias; quidam vero voluptates; quidam aliquid aliud Iª 2 1 ad 1
Bonum proportionatum communi statui naturae invenitur ut in pluribus; non quod illum excedit Iª 23 7 ad 3
Quantum ad homines bonum est ut in paucioribus Iª 63 9 ad 1; cf. Iª 49 3 ad 5; 115 4 ad 3; Iª IIae 9 5 ad 3; 31 5 ad 1; 71 2 ad 3; 96 2 co.; IIª IIae 95 5 ad 2; Gent. III 6, 26, 85
Dupliciter procuratur per divinam providentiam Iª 64 4 co.
Bonum aliquod consequimur multipliciter Iª 103 2 ad 1
Ad bene operandum duo requiruntur Iª 113 1 ad 2
Iudicium de bonis humanis non debet sumi a stultis sed a sapientibus Iª IIae 2 1 ad 1
Dependet sicut ex causa ex cognitione Dei Iª IIae 2 3 co.
Conveniens bonum si sit perfectum, est ipsa hominis beatitudo; si autem sit imperfectum, est quaedam beatitudinis participatio Iª IIae 2 6 co.
De bonis certissimis secundum sententiam sapientum et spiritualium virorum quae tamen non sunt certa bona secundum sententiam plurium vel carnalium hominum, consilia dantur Iª IIae 14 1 ad 3
Tanto bonum hominis erit perfectius quanto ad plura quae homini conveniunt, derivari potest Iª IIae 24 3 co.
Bonum intelligibile est bonum rationis; bonum secundum sensum est bonum totius coniuncti Iª IIae 30 1 co.
Hominum proprium est excogitare aliquid ut bonum et conveniens praeter id quod natura requirit Iª IIae 30 3 co.
Bonum conveniens adipiscimur aliqua operatione Iª IIae 32 1 co.
Bonum alterius reputamus quasi nostrum bonum propter unionem amoris Iª IIae 32 6 co.
Proprium bonum plus homo amat quam odiat malum alterius Iª IIae 32 6 ad 3
Potest considerari vel in operatione ipsius vel in exterioribus rebus Iª IIae 41 4 co.
Ex omnibus bonis nostris aliquam excellentiam quaerimus Iª IIae 47 2 co.; 84 2 co.; IIª IIae 132 4 co.
Bonum animae est secundum rationem esse (Dion.) Iª IIae 55 4 ad 2; 59 1 co.; 71 2 co.; IIª IIae 47 6 co.; 123 1 co., 12 co.; 135 1 arg. 2; 141 1 co., 6 co.; 142 1 arg. 2; 167 1 arg. 1; Gent. III 162

C

In Deo non est realis relatio ad creaturas sed in creaturis est realis relatio ad Deum Iª 28 1 ad 3
Ducit in Dei cognitionem sicut effectus in causam Iª 32 1 co.
Omnes creaturae sub una specie relationis referuntur ad Deum ut sunt creaturae ipsius Iª 32 2 co.
Nulli creaturae competit esse principium respectu alicuius divinae personae, sed e converso Iª 36 1 ad 3
Non procedit a tribus personis ut sunt personae distinctae, sed ut sunt unum in essentia Iª 36 4 ad 7
In creaturis non potest esse distinctio suppositorum per relationem, sed oportet quod sit per essentialia principia Iª 39 1 ad 1
Rebus divinis nomina imponimus secundum modum rerum creatarum Iª 39 1 ad 3
In consideratione alicuius creaturae quatuor per ordinem nobis occurrunt Iª 39 8 co.; 45 7 co.
Quod potest sic vel aliter esse, pertinet ad rationem creaturae Iª 41 2 co.
Videmus in creaturis quod quanto aliquid habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo Iª 42 6 co.
Unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem Iª 44 4 co.
Ea quae per naturam fiunt, creaturae dicuntur Iª 45 8 ad 4
Contra rationem creaturae est quod in esse conservetur a seipsa Iª 48 5 ad 1
Id quod praecipue in rebus creatis Deus intendit, est bonum quod consistit in assimilatione ad Deum Iª 50 1 co., 3 co.
Circumscribi terminis essentialibus est commune cuilibet creaturae Iª 50 1 ad 3
Omnis creatura est finita simpliciter, sed nihil prohibet aliquam creaturam esse secundum quid infinitam Iª 50 2 ad 4
Impossibile est quod actio alicuius creaturae sit eius substantia Iª 54 1 co.
Actio nullius creaturae est eius esse Iª 54 2 co.
In nulla creatura virtus vel potentia operativa est idem quod sua essentia Iª 54 3 co.; 59 2 co.
Omnis creatura naturaliter secundum id quod est, Dei est Iª 60 5 co.
Cuiuslibet creaturae esse beatum non est natura, sed ultimus finis Iª 62 4 co.
Nulla creatura esse potest nisi per hoc quod sub Deo esse participat Iª 63 3 co.
Nihil prohibet dici quod dignior creatura facta est propter inferiorem, non secundum quod in se consideratur, sed secundum quod ordinatur ad integritatem universi Iª 70 2 ad 4
Essentia superioris creaturae etsi habeat quamdam similitudinem inferioris creaturae, non tamen habet complete similitudinem illius Iª 84 2 ad 3
Quaelibet creatura est quoddam obscurum, si compararetur ad immensitatem divinae claritatis Iª 94 1 ad 3; cf. 64 1 ad 3; IIª IIae 5 1 ad 2
In omnibus rebus creatis est aliquid stabile et aliquid ad motum pertinens Iª 103 1 ad 2
Id quod creaturae a Deo recipiunt, est earum natura; quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur praeter earum naturam, ad violentiam pertinet Iª 103 1 ad 3
Creatura assimilatur Deo quantum ad duo Iª 103 4 co.
Eorum quae a Deo fiunt circa creaturam, quaedam proveniunt secundum naturalem cursum rerum, quaedam vero miraculose operatur Iª 104 4 co.
Potentia creaturae ad essendum est receptiva tantum; sed potentia activa est ipsius Dei Iª 104 4 ad 2
Omnes creaturae ex divina bonitate participant ut bonum quod habent, in alia diffundant Iª 106 4 co.
Illae creaturae super alias influentiam habent, quae sunt perfectiores et Deo propinquiores Iª 109 4 co.
Quaelibet virtus creaturae in universo se habet ut virtus alicuius privatae personae in civitate Iª 110 4 ad 2
Quamvis omnes creaturae sint aliquomodo mutabiles, tamen aliquae earum non procedunt a causis mutabilibus Iª 116 4 ad 3
Primas creaturas statim Deus perfectas produxit absque aliqua dispositione vel operatione creaturae praecedente Iª IIae 5 7 ad 2
Non possunt esse actus creaturae infiniti Iª IIae 87. 4 co.
Sub Deo legislatore diversae creaturae diversas habent naturales inclinationes Iª IIae 91 6 co.
Creatura comprehensibilis est quae est subiecta Deo sicut sedes sedenti Iª IIae 102 4 ad 6
Unaquaeque res creata, sicut esse non habet nisi ab alio et in se considerata est nihil, ita indiget conservari in bono suae naturae convenienti ab alio. Potest autem per seipsam deficere a bono, sicut et per seipsam potest deficere in non esse, nisi divinitus conservaretur Iª IIae 109 2 ad 2, 9 ad 1
Creaturis naturalibus sic providet Deus ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam quae sunt principia actuum Iª IIae 110 2 co.
Ex creaturis homo occasionaliter a Deo avertitur IIª IIae 9 4 co.; cf. Iª IIae 79 1 ad 2
Omnis virtus creaturae est finita IIª IIae 27 5 co.
Ea quae sunt creaturarum, per quandam superexcellentiam et causalitatem transferuntur in Deum IIª IIae 101 3 ad 2
Non participat potentiam creandi; participat autem dominium IIª IIae 103 3 ad 1
Est conveniens ut creatura quae secundum rationem sui mutabilis est, non semper eodem modo se habeat IIIª 1 1 ad 1
Quaelibet naturae conditio secundum quam creatura differt a Creatore, a Dei sapientia est instituta et ad Dei bonitatem ordinata; ad Deum ordinatur etiam malum poenae, non malum culpae IIIª 1 1 ad 3
Duplex ordo considerari potest inter creaturam et Deum IIIª 6 1 ad 1
In potentia creaturae sunt infinita IIIª 10 3 co., ad 3
Creaturae a Deo conditae sunt signa sapientiae eius IIIª 12 3 ad 2
Est incapax virtutis infinitae IIIª 13 1 ad 2
Quaelibet creatura subiacet operationi divinae dispositionis IIIª 20 1 co.
Naturale est cuilibet creaturae ut transmutetur a Deo secundum eius voluntatem IIIª 44 2 ad 1
Omnis creatura Dei est munda quia non habet in substantia sua alicuius malitiae commixtionem Suppl. 74 1 ad 1
Est bona per participationem et non per essentiam Suppl. 90 3 ad 3
Praecipue in Dei cognitionem ducit sua specie et decore Suppl. 91 3 co.
Habet esse et perfectionem terminata Gent. I 66
Omnes res creatae comparantur ad Deum sicut artificiata ad artificem Gent. II 24
Finis creaturarum ex divina voluntate prodeuntium est divina bonitas Gent. II 32
Non omnes creaturae in uno gradu bonitatis constituuntur Gent. III 20
Omne creatum ad aliquod genus vel speciem terminatur Gent. III 49
Non est participabilis sed magis participans Gent. IV 17
Omnes creaturae nihil aliud sunt quam realis quaedam expressio et repraesentatio eorum quae in conceptione divini Verbi comprehenduntur Gent. IV 42

CREATURA SPIRITUALIS - cf. ANGELUS

CREATURA RATIONALIS - cf. etiam HOMO, NATURA RATIONALIS - Cognoscere Deum secundum seipsum est proprium creaturae rationali Iª 6 1 ad 2
Permanebit absque fine Iª 14 12 co.
Circa creaturam rationalem specialia quaedam signa divinae voluntatis assignantur Iª 19 12 ad 3
Amicitia non potest haberi nisi ad rationales creaturas sicut et benevolentia Iª 20 2 ad 3
Seipsam agit quasi se dirigens in finem per liberum arbitrium Iª 22 2 ad 4; cf. Iª IIae 114 1 co.
Perducitur in vitam aeternam quasi a Deo transmissa Iª 23 1 co.
Inter omnes creaturas principalius ordinatur ad bonum universi Iª 23 7 co.
Creaturae rationalis est duplex finis ultimus Iª 26 3 ad 2
Sola creatura rationalis potest habere divinam personam; sed ad hoc non potest propria virtute pervenire Iª 38 1 co.
Cognoscendo et amando sua operatione attingit ad ipsum Deum secundum specialem modum Iª 43 3 co.; 65 2 co.
Est capax summi boni Iª 93 2 ad 3; IIIª 23 1 co.
Ex hoc in iustitia confirmatur quod efficitur beata per apertam Dei visionem Iª 100 2 co.
Est perfectior quam creatura irrationalis Iª IIae 5 5 ad 2; IIª IIae 7 2 co.
Inter cetera excellentiori quodam modo divinae providentiae subiacet Iª IIae 91 2 co.
Participat rationem aeternam intellectualiter et rationaliter Iª IIae 91 2 ad 3
Unicuique rationali creaturae inest naturalis inclinatio ad id quod est consonum legi aeternae Iª IIae 93 6 co.
Sola natura rationalis creata habet immediatum ordinem ad Deum IIª IIae 2 3 co.
Perfectio rationalis creaturae non solum consistit in eo quod ei competit secundum suam naturam, sed etiam in eo quod ei attribuitur ex quadam supernaturali participatione divinae bonitatis IIª IIae 2 3 co.
Impura redditur ex hoc quod temporalibus se subiicit per amorem IIª IIae 7 2 co.
Ordo creaturae rationalis est ut sit sub Deo et supra ceteras creaturas IIª IIae 19 11 co.
Est proprium rationali creaturae quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum IIª IIae 52 1 co.
Est capax beatae cognitionis quae in visione Dei consistit IIIª 9 2 co., ad 3
Creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam IIIª 25 3 ad 3; 5 co.
Sola creatura rationalis est susceptiva culpae IIIª 27 2 co.
Finis omnis rationalis creaturae est ut ad beatitudinem perveniat Gent. IV 50

CREATURA IRRATIONALIS, sive MATERIALIS, CORPORALIS, SENSIBILIS - cf. etiam CORPUS - In creaturis materialibus ea quae sunt perfecta et subsistentia, sunt composita Iª 13 1 ad 2
Non agit nisi mota ex operatione divina Iª 19 12 ad 3
Deus proprie loquendo non amat creaturas irrationales amore amicitiae sed amore quasi concupiscentiae Iª 20 2 ad 3
Non proprie dicitur praedestinari Iª 23 1 ad 2
Moveri quidem potest a divina Persona, non tamen sic quod in potestate eius sit frui divina Persona Iª 38 1 co.
Indicium sanctificationis esse potuit Iª 43 7 ad 4
Creaturae corporeae omnes sunt unum in materia Iª 61 3 ad 3
Statim in principio suae creationis habere non potuit perfectionem Iª 62 1 ad 2
Non ordinatur ad altiorem finem quam sit finis qui est proportionatus naturali virtuti ipsius Iª IIae 91 4 ad 3
Non agit seipsam sed ab aliis agitur Iª IIae 93 5 co.
Non participat ratione humana; participat tamen ratione divina Iª IIae 93 5 ad 2
Non attingit ad aliquid universale IIª IIae 2 3 co.
Creaturae irrationali in se consideratae non debetur ab homine aliqua subiectio vel honor IIª IIae 103 4 ad 3; IIIª 25 5 co.
Ad id quod faciendum est, cogitur necessitate naturae IIª IIae 104 1 ad 1
Non habet congruitatem ut uniatur Deo secundum esse personae IIIª 4 1 ad 2
Non potest dici proprie sacramentum IIIª 60 2 ad 1
Est facta propter spiritualem Suppl. 91 4 co.

CREDERE - cf. FIDES

CRIMEN, CRIMINATOR

CRIMEN - Ille qui est conscius criminis, timetur, ne crimen revelet Iª IIae 42 1 co.
Si crimen fuerit tale quod vergat in detrimentum reipublicae, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare IIª IIae 68 1 co.
In iudicio exteriori non debet aliquod crimen alicui impingi quod non potest per testes idoneos probari Suppl. 6 4 sed c. 2
Tribus modis in criminibus procedi potest Suppl. 62 3 ad 6
CRIMINATOR - Differt et a susurrone et a detractore IIª IIae 74 1 ad 2

CRUCIFIGERE, *vide prius p. 320 b*
In tertia hora crucifixus est Christus linguis Iudaeorum; in hora sexta manibus militum IIIª 83 2 ad 3; cf. IIIª 46 9 ad 2

CRUCISIGNATIO
Ratio crucisignationum in celebratione Missae IIIª 83 5 ad 3, 4

E

F

H

I

VI. - INTELLECTUS POSSIBILIS

VII. - INTELLECTUS AGENS

VIII. - INTELLECTUS SPECULATIVUS

IX. - INTELLECTUS PRACTICUS

L

M

cundum rationem rectam IIa IIae 161 1 co., ad 3, 2 ad 3; 162 1 ad 3
Non opponitur humilitati IIa IIae 161 1 ad 3
Licet magnanimitas et humilitas in materia conveniant, differunt tamen in modo IIa IIae 161 4 ad 3
MAGNANIMUS - Homini qui anhelat ad aliquid magnum, parvum videtur omne aliud quod est eo minus IIa IIae 17 2 ad 3
Dicitur esse piger et otiosus non quia de nullo sit sollicitus, sed quia non est superflue sollicitus de multis IIa IIae 47 9 ad 3
In omnibus vult manifestus esse IIa IIae 55 8 ad 2

MAGNES
Magneti competit ferri deorsum ex natura sui generis et attrahere ferrum ex natura speciei Suppl. 65 1 co.

MAGNIFICENTIA, MAGNIFICUS, *vide prius p. 339 a*
Nihil prohibet magnificentiam in Deo ponere Ia 21 1 ad 1
Est circa bonum pecuniae cum arduitate sumptum, secundum quod est obiectum spei Ia IIae 60 5 co.
In magnificentia si consideretur quantitas absoluta eius in quod tendit magnificus, dicetur extremum et maximum; sed si consideretur hoc ipsum per comparationem ad alias circumstantias, sic habet rationem medii Ia IIae 64 1 ad 2; cf. IIa IIae 92 1 co.
Perficit hominem secundum aliquem eminentem statum Ia IIae 65 1 ad 1
Quodammodo se habet ex additione ad liberalitatem IIa IIae 117 3 ad 1
Est circa magnas pecunias IIa IIae 129 2 co.; 152 3 co.; 160 1 co.; Suppl. 7 3 co.
Aliquis pauper potest habere habitum magnificentiae, cum tamen actum non exerceat IIa IIae 137 1 ad 2
De magnificentia non fuerunt danda praecepta, sed magis consilia IIa IIae 140 2 ad 1
Si quis magnificus consumpsit suas divitias, per poenitentiam peccati non restituuntur ei divitiae IIa IIae 152 3 ad 3
Commendatur circa divitias IIIa 7 2 ad 3

MAGNITUDO, MAGNUS, MAIOR, MAXIMUS, *vide prius p. 339 a*
MAGNITUDO - Est divisibilis in infinitum Ia 53 2 co.
In magnitudine corporali contingit dupliciter esse augmentum Ia IIae 52 2 ad 1
Si ab aliqua magnitudine finita continue auferatur aliquid secundum eandem quantitatem, totaliter tandem consumetur; si vero fiat subtractio semper secundum eandem proportionem, poterit in infinitum subtrahi Ia IIae 85 2 co.
Magnitudo rei consequitur esse ipsius IIa IIae 24 5 co.
Magnitudo infinita nulla est; magnitudinis autem finitae non est possibile esse potentiam infinitam Gent. I 20
Spiritualis magnitudo quantum ad duo attenditur Gent. I 43
MAGNUM - Dicitur in quantitatibus corporeis aliquid magnum secundum quod ad debitam perfectionem quantitatis perducitur; unde et in formis dicimus aliquid magnum ex hoc quod est perfectum Ia IIae 52 1 co.
Terminus augmenti est magnum Ia IIae 52 1 ad 1
Aliquid magnum dicitur dupliciter Ia IIae 113 9 co.
In homine invenitur aliquid magnum quod ex dono Dei possidet IIa IIae 129 3 ad 4
Magnum et parvum diversificant quantitatem dimensivam non quantum ad eius essentiam, sed quantum ad determinationem mensurae IIIa 77 8 ad 4
MAIUS - *In his quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod est melius esse* (Aug.) Ia 42 1 ad 1; Ia IIae 52 1 co.; IIa IIae 117 6 arg. 2; 123 12 co.; IIIa 20 1 co.; Suppl. 19 4 arg. 2; Gent. I 43
Aliquid potest dici maius vel minus dupliciter Ia IIae 66 3 co. - alio modo IIIa 1 4 co.
Nihil prohibet maius in minori virtute contineri Ia IIae 107 3 ad 2
MAXIMUM - Id quod est maximum in unoquoque genere, videtur esse principalius Ia IIae 61 3 arg. 1

MAGUS, *vide prius p. 339 a*
Magi Pharaonis dicuntur defecisse in tertio signo Ia 32 1 arg. 1, ad 1
Magi Pharaonis per virtutem daemonum veros serpentes et ranas fecerunt Ia 114 4 co.; IIa IIae 178 1 ad 2
Quidam dicunt quod isti Magi quibus manifestata fuit nativitas Christi, non fuerunt malefici sed sapientes astrologi IIIa 36 3 ad 2
Magi dicuntur ab Oriente venisse IIIa 36 3 ad 3
Secundo Magi pervenerunt ad Christum IIIa 36 6 co.
De apparitione stellae quae apparuit Magis, est duplex opinio IIIa 36 6 ad 3

MAIESTAS - cf. DEUS

MALEDICTIO, *vide prius p. 339 a*
Potest esse dupliciter Suppl. 21 2 ad 1

MALITIA, *vide prius p. 339 a*
Malitia aliquorum hominum potest dici naturalis dupliciter Ia 63 4 ad 2
Est causa excaecationis meritoria Ia IIae 79 3 ad 3
Nihil est quo humana malitia non posset abuti, quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur IIIa 3 8 ad 1
Ex ultimo fine dependet tota bonitas vel malitia voluntatis Gent. IV 95

MALUS, *vide prius p. 339 b*
Divisio: MALUS, MALUM IN ABSTRACTO, IN CONCRETO, RELATUM AD BONUM
MALUS, cf. etiam PECCATOR - Praeesse in malis est esse magis miserum Ia 109 2 ad 3
Sicut perfectum ita et bonum metaphorice dicitur in malis Ia IIae 55 3 ad 1; IIa IIae 45 1 ad 1
Mali etsi interdum in hac vita temporales poenas non patiantur, patiuntur tamen spirituales Ia IIae 69 2 ad 2
In malis inclinatio naturalis ad virtutem depravatur per habitum vitiosum et iterum ipsa naturalis cognitio boni in eis obtenebratur per passiones et habitus peccatorum Ia IIae 93 6 co.
Perversorum est quod in temporalibus bonis finem constituant Ia IIae 99 6 co.
Philosophus illos nominat malos qui proximis inferunt nocumenta IIa IIae 133 1 ad 1
Non omnes mali sunt lupi rapaces, sed solum illi qui intendunt aliis nocere IIa IIae 172 4 ad 3
MALUM: IN ABSTRACTO - Nullum ens dicitur malum inquantum est ens, sed inquantum caret quodam esse Ia 5 3 ad 2
Est privatio modi, speciei et ordinis (Aug.) Ia 5 5 arg. 3; Ia IIae 84 3 ad 2
Privat quodam esse Ia 5 5 ad 3
Non appetitur nisi per accidens Ia 19 9 co.
Est praeter voluntatem (Dion.) Ia IIae 8 1 sed c.; 29 4 co.; 74 1 arg. 1, ad 1
In moralibus dicitur malum communiter omne quod est rationi rectae repugnans Ia IIae 18 9 ad 2; 34 1 co.
In plus est quam peccatum Ia IIae 21 1 co., 2 co.
Accessus ad malum est per accidens Ia IIae 25 4 ad 3
Interiori apprehensione magis cognoscitur Ia IIae 35 7 ad 2
Secundum se est fugiendum Ia IIae 39 3 co.
Inter ceteras circumstantias diuturnitas vel perpetuitas magis videtur facere ad augmentum mali Ia IIae 42 6 co.
Remedium mali est duplex Ia IIae 42 6 ad 1
Quando modus non convenit naturae rei, tunc habet rationem mali Ia IIae 49 2 co.
Defectum quendam importat Ia IIae 55 3 co.
Malum in regulatis et mensuratis est per hoc quod aliquid discordat a sua regula vel mensura Ia IIae 64 1 co.
Deo nullo modo competit Ia IIae 68 4 ad 4
Vituperabilius est male agere, quam posse male agere Ia IIae 71 3 co.
Nullus intendens ad malum operatur (Dion.) Ia IIae 72 1 co.
Diversificatur specie secundum ea quae privantur Ia IIae 72 9 ad 1
Malum si sit integrum, destruit seipsum (Arist.) Ia IIae 73 2 co.; Suppl. 86 1 ad 2
Habet causam deficientem vel agentem per accidens Ia IIae 75 1 co.
In privatione consistit ratio mali Ia IIae 79 2 ad 3; cf. 21 1 co.
Non omne detrimentum est simpliciter malum hominis, sed aliquod est malum secundum quid Ia IIae 87 7 co.
Importat privationem ordinis ad finem IIa IIae 19 1 co.
Malum morale praecipue consistit in aversione a Deo IIa IIae 19 2 ad 2
Omne malum etsi secundum aliquid appareat bonum, unde ex aliqua parte appetitum quietet, habet tamen multos defectus ex quibus appetitus remanet inquietus et perturbatus IIa IIae 29 2 ad 3
Duplex est IIa IIae 34 5 ad 3
Etiam vituperare malum si non adhibeantur debitae circumstantiae, est vitiosum IIa IIae 115 1 ad 2
Malum inquantum huiusmodi fugiendum est; quod autem sit contra ipsum persistendum, est per accidens IIa IIae 129 5 ad 3
Peius est appetere malum sub ratione mali quam sub ratione boni IIa IIae 158 4 co.
Aliquis potest non resistere malo dupliciter IIa IIae 188 3 ad 1
Inflatio propriae voluntatis ad malum faciendum importat quantum est de se, malum ex genere Suppl. 1 2 co.
Facilius est causas privationis et mali abscindere quam ipsum malum removere Suppl. 12 3 ad 2
Non est inconveniens quod aliquis effectus sit a Deo cuius causa est mala Suppl. 48 2 ad 2
Per privationem actus a potentia consequitur Gent. I 37
Non habet causam per se, sed per accidens incidit in effectibus causarum Gent. II 41
Malum inquantum huiusmodi est ens privatum et ipsum malum est privatio Gent. II 41
Non invenitur nisi in potentia deficiente ab actu Gent. III 3
Omnia inveniuntur malum fugere Gent. III 3
MALUM: IN CONCRETO - Mala licet a Deo non sint operabilia, tamen sub cognitione practica ipsius cadunt Ia 14 16 co.; 18 4 ad 4
Non habet in Deo ideam Ia 15 3 ad 1; 18 4 ad 4
Non potest dici quod mala sint vita in Deo Ia 18 4 ad 4
Nobis melius est non cognoscere mala et vilia, sed non Deo Ia 22 3 ad 3
Quidam quaecumque sibi nociva sunt, inconsideranter simpliciter mala arbitrantur Ia 65 1 ad 2; cf. Ia IIae 18 9 ad 2; 39 4 ad 3
In primo statu hominis nullum malum sensibile aderat nec imminebat Ia 95 2 co.
Multis malis praesens vita subiacet quae vitari non possunt Ia IIae 5 3 co.
Illi qui mala sua dicunt, non propter mala amantur, sed propter hoc quod dicunt mala Ia IIae 27 1 ad 2
Malum hominis potest considerari vel in operatione ipsius vel in exterioribus rebus Ia IIae 41 4 co.
Malum imminens maius apparet Ia IIae 42 5 co., ad 3
Appetere malum sub ratione iusti minus habet de ratione mali quam velle malum alicuius simpliciter Ia IIae 46 6 co.
Non facit difficultatem rationi nisi sit excellens Ia IIae 60 5 ad 4
In statu gloriae nullum malum timebitur Ia IIae 67 4 ad 2
Temporalia mala infliguntur in poenam impiis, iustis autem non sunt poenae sed magis medicinae Ia IIae 114 10 ad 3
Malum uniuscuiusque est ut suum ordinem deserat IIa IIae 19 11 co.
Malorum quae homini vitanda occurrunt, quaedam sunt quae ut in pluribus accidere solent, quaedam vero sunt quae ut in paucioribus IIa IIae 49 8 ad 3
Potest aliquid malum accipi ut parvum dupliciter IIa IIae 75 2 co.
Delectamur quandoque cognoscendo mala, quamvis mala non delectent nos Suppl. 95 5 co.
Non potest esse unum primum principium omnium malorum Gent. II 41
Malum uniuscuiusque est quod a debito fine divertat Gent. III 122
In veteri lege permissum fuit minus malum ad excludendum maius malum Gent. III 123
MALUM: RELATUM AD BONUM, cf. etiam BONUM - Hoc ad infinitam Dei bonitatem pertinet ut esse permittat mala, et ex eis eliciat bona Ia 2 3 ad 1; cf. Ia IIae 87 2 ad 1; Suppl. 19 5 ad 2; Gent. IV 55
Est privatio boni (Aug.) Ia 14 10 arg. 1, co., ad 4; 19 9 co.; 48 1 co., ad 4, 3 co., 5 co., ad 1; 49 3 ad 2; Ia IIae 18 5 arg. 2, ad 2, 8 arg. 1, ad 1; 21 1 co.; 25 2 co.; 35 1 co.; 36 1 co.; 42 1 co.; 54 3 arg. 2;

Est perniciosum mendacium si quis verbis asserat contrarium eius quod per veram fidem tenet in corde IIª IIae 94 2 co.

Aliquis verbo mentitur quando significat quod non est, non autem quando tacet quod est, quod aliquando licet Iª IIae 111 1 ad 4

Non omne quod fingimus, mendacium est; sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium (Aug.) IIIª 55 4 ad 1

MENDICITAS, *vide prius* MENDICARE *p. 340 c*; (*ad* Gent. III *pro* 125 *lege* 135)

Non quaelibet mendicitas est furandi et periurandi occasio, sed sola illa quae est contraria voluntati IIIª 40 3 ad 1

Mendicitas (voluntaria) non reddit homines contemptibiles si moderate fiat, neque habet speciem turpis, sed humilitatis est Gent. III 135

MENS, *vide prius p. 340 c*

Nihil subsistens est maius mente rationali nisi Deus Iª 16 6 ad 1

Ex quo sumitur nomen mentis Iª 79 9 ad 4

Seipsam per seipsam novit Iª 87 1 ad 1

Nihil est coniunctius Deo quam mens humana secundum genus intellectualis naturae Iª 93 3 ad 2

Fertur in aliquid dupliciter Iª 93 8 co.

Hoc naturale est quod mens ad intelligendum Deum ratione uti potest Iª 93 8 ad 3

Rationalis mens formatur immediate a Deo Iª 106 1 ad 3

Mentem unius nullus alius potest videre nisi solus Deus Iª 107 1 ad 1

Scire quid Deus velit, pertinet ad perfectionem et illuminationem mentis creatae Iª 107 2 ad 3

Mens Deo coniuncta super omnia alia elevatur Iª IIae 5 4 co.

Non habet organum corporale Iª IIae 35 5 co.

Quamvis non utatur organo corporali in suo proprio actu, tamen indiget ad sui actum quibusdam viribus sensitivis Iª IIae 48 3 co.

Praecipue in patria mens humana sequetur motionem Spiritus Sancti Iª IIae 68 6 co.

Mens hominis bene disponitur in seipsa quando mens hominis bene se habet et in bonis et in malis; ad id autem quod est iuxta hominem, scilicet proximum, bene disponitur quadrupliciter; sed ad id quod infra est, bene disponitur homo quantum ad duo Iª IIae 70 3 co.

Spiritus Sanctus movet humanam mentem ad id quod est secundum rationem, vel potius ad id quod est supra rationem; appetitus autem carnis trahit ad bona sensibilia Iª IIae 70 4 co.

Ad rectam ordinationem mentis in Deum pertinet quod omnia quae homo habet, recognoscat a Deo tanquam a primo principio et ordinet in Deum tanquam in ultimum finem Iª IIae 102 3 co.

Secundum se est supra tempus, sed per accidens subditur tempori Iª IIae 113 7 ad 5

Est impossibile quod una mens rationalis alteri addatur IIª IIae 24 5 co.

Diiudicat de aliquo faciendo secundum suam habitualem dispositionem IIª IIae 24 11 co.

Ex hoc ipso quod dirigitur a Spiritu Sancto, fit potens dirigere se et alios IIª IIae 52 2 ad 3

Circa motionem humanae mentis a Deo duo considerari oportet IIª IIae 52 3 co.

Indiget ad hoc quod coniungatur Deo, sensibilium manuductione IIª IIae 81 7 co.; cf. 84 2 ad 3

Inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus immergitur IIª IIae 81 8 co.

Praeeminet exterioribus vel corporalibus membris vel exterioribus rebus IIª IIae 83 3 ad 3

Per exteriora signa movetur et secundum apprehensionem et per consequens secundum affectionem IIª IIae 83 12 co.

Propter infirmitatem naturae diu in alto stare non potest IIª IIae 83 13 ad 2

In solo Deo mens nostra debet quiescere sicut in ultimo fine IIª IIae 112 2 ad 3

Per peccatum a divina subiectione recessit IIª IIae 164 1 co.

Per prius applicatur ad cognitionem, secundario autem ad ea in quibus homo per cognitionem dirigitur IIª IIae 166 1 co.

Quando mens intenditur in suo actu circa absentia, tunc sequitur alienatio a sensibus; sed quando intenditur in suo actu circa dispositionem vel iudicium sensibilium, non oportet quod a sensibus abstrahatur IIª IIae 173 3 ad 2

Duplicem habet respectum IIIª 9 4 ad 2

Quamvis mens facta carnalis non possit cogitare nisi accepta a sensibus, tamen ea cogitat immaterialiter Suppl. 92 2 ad 5

Divinae Trinitatis similitudinem in mente humana possumus considerare Gent. IV 26

MENSURA, MENSURARE, *vide prius p. 341 a*

MENSURA - *Mensuram proportionatam oportet esse homogeneam mensurato* (Arist.) Iª 3 5 ad 2; 13 5 arg. 3; Iª IIae 19 4 ad 2; 96 2 co.

Ex transmutabilitate mensurati est prius et posterius in mensura Iª 10 5 co.

Unius rei non sunt plures mensurae proximae; possunt tamen esse plures mensurae quarum una sub alia ordinetur Iª IIae 19 4 ad 1

Dicitur dupliciter esse in aliquo Iª IIae 90 1 ad 1

Imponitur per hoc quod applicatur his quae mensurantur Iª IIae 90 4 co.

Non oportet quod omnis mensura sit omni modo infallibilis et certa, sed secundum quod est possibile in genere suo Iª IIae 91 3 ad 3

Utilitas regulae vel mensurae est ut ex uno multa possint cognosci Iª IIae 96 1 ad 2

Debet esse permanens quantum est possibile Iª IIae 97 1 ad 2

Humanorum actuum duplex est mensura, una proxima et homogenea, scilicet ratio, alia suprema et excedens, scilicet Deus IIª IIae 17 1 co.

Secundum seipsam est determinativa et modificativa aliorum IIª IIae 27 6 co.

Bonitas mensurae potior est quam bonitas mensurati IIª IIae 27 6 ad 1

In fine non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad finem IIª IIae 184 3 co.

Illud quod est mensura in unoquoque genere, est perfectissimum illius generis Gent. I 62

MENSURARE - *Unumquodque mensuratur simplicissimo* (*primo*) *sui generis* (Arist.) Iª 10 6 ad 4; 66 4 ad 3; Iª IIae 34 4 arg. 1; 96 1 ad 2; Gent. I 62

Ad hoc quod aliqua mensurentur per aliquod unum, non requiritur quod illud unum sit causa omnium eorum, sed quod sit simplicius Iª 10 6 ad 4

Idem non mensuratur per idem Iª 30 2 ad 5

Mensurare est actus intellectus applicantis principia certa ad examinationem propositorum Iª 79 9 ad 4

Diversa diversis mensuris mensurantur Iª IIae 96 2 co.

Mensuratio nihil aliud est quam quaedam certificatio rei mensuratae Gent. I 63

MERCENARIUS, MERCES

Lex vetus provide ordinavit ut statim mercenariis merces solveretur Iª IIae 105 2 ad 6

Meritum et merces ad idem referuntur Iª IIae 114 1 co.

Id quod redditur secundum iustum iudicium, videtur esse merces condigna Iª IIae 114 3 sed c.

Est terminus operis Iª IIae 114 5 co.

Ultima merces est frui Deo IIª IIae 27 8 co.

Sine iniustitia potest subtrahi merenti quando ipse reddiderit se indignum mercede per culpam sequentem IIIª 89 4 ad 2

MERCURIUS

Acervus Mercurii dicitur cumulus ratiocinii in quo mercator quandoque mittit unum lapillum loco centum marcarum IIª IIae 63 3 co.

MERERI, MERITUM, MERITORIUS, *vide prius p. 341 a*

MERERI - Quod meremur, quodammodo nostrum est Iª 23 6 ad 1

Mereri pertinet ad statum viae Iª 62 9 ad 1; IIª IIae 13 4 ad 2; cf. 26 13 co.

In primo instanti suae creationis angelus mereri potuit Iª 63 5 ad 3

Non quantum aliquis intendit mereri, meretur Iª IIae 19 8 co.

Aliquo dicimur mereri dupliciter Iª IIae 55 1 ad 3

Mereri commune est omnibus actibus caritate informatis IIª IIae 83 13 co., cf. 15 co.; 124 2 ad 2; Suppl. 7 2 sed c. 2; 9 1 co.; 96 5 co.

Nullus peccando meretur vitam aeternam IIª IIae 132 3 ad 1

Secundum operationes communes et universales homo nec meretur nec demeretur IIIª 4 4 co.

Christus meruit suam resurrectionem inquantum homo, non autem inquantum Deus IIIª 53 4 ad 2

Unus alteri non meretur praemium essentiale nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam Suppl. 13 2 ad 1

Ille qui ex caritate pro alio meretur saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur Suppl. 13 2 ad 3

Quamvis purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen unius meritum potest cooperari ad salutem alterius Suppl. 19 4 ad 2

Status merendi et demerendi est unus status, sed eorum qui recipiunt pro meritis, sunt status diversi Suppl. 69 7 ad 2

Actus quibus meremur non sunt proprie loquendo manus vel pedis, sed totius hominis Suppl. 80 1 ad 3

Homo meretur ut totum praemietur, qui ex toto quod habet, Deo servit Suppl. 80 1 ad 3

Nullus potest alteri mereri nisi id cuius est capax, nec etiam sibi ipsi Suppl. 91 5 ad 2

Diversitas in merendo tota revertitur ad diversitatem caritatis Suppl. 93 3 co.

Etiam ex ipso genere actus potest aliquis gradus in merendo considerari, non quidem respectu praemii essentialis, sed respectu alicuius accidentalis praemii Suppl. 93 3 ad 3

Caritas est principium merendi, sed actus noster est quasi instrumentum quo meremur Suppl. 96 1 ad 3

Non meremur nisi per ea quae sunt in nobis Suppl. 96 6 ad 2

Aliquis laborando meretur suum effici quod retributor per actum iustitiae sibi reddit Gent. II 28

MERITUM - Terminatur ad praemium Iª 48 6 ad 1

Intenditur propter praemium Iª 48 6 ad 1

Non est simile de profectu meriti et scientiae Iª 94 3 ad 3

Contingit quandoque quod in diversis regnis vel in diversis hominibus contraria merita et demerita inveniuntur ut unus alteri subdatur aut praesit Iª 113 8 co.

In actibus speculativorum habituum potest esse, si ex caritate fiant Iª IIae 57 1 co.

Non potest esse sine actu Iª IIae 71 5 ad 1

Plus facit ad rationem meriti et virtutis bonum quam difficile IIª IIae 27 8 ad 3

Meritum dantis eleemosynam attenditur secundum id in quo debet rationabiliter requiescere voluntas accipientis; non in eo in quo requiescit si sit inordinata IIª IIae 32 3 ad 3

Ubi est necessitas, tollitur gloria supererogationis; non autem excluditur meritum virtutis, si adsit voluntas IIª IIae 81 6 ad 3; cf. Suppl. 12 1 ad 1

Praecipue ordinatur ad beatitudinem IIª IIae 83 15 ad 2

Innititur iustitiae IIª IIae 83 16 ad 2

Non consistit principaliter in exteriori dono vel actu vel passione, sed in interiori affectu IIª IIae 100 1 ad 3

Meritum virtuosi actus consistit in hoc quod homo contemptis bonis creatis Deo inhaeret sicut fini IIª IIae 104 3 co.

Non solum pensatur ex genere actus, sed magis ex animo operantis IIª IIae 152 4 ad 1

Publica merita publice praemiari oportet ut alii provocentur IIIª 55 1 ad 1

Est effectus iustificationis IIIª 56 2 ad 3

Diminutio difficultatis ex parte ipsius actus diminuit ceteris paribus meritum; sed diminutio difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, sed auget Suppl. 15 1 ad 2

Meritum Christi etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum Suppl. 25 1 co.

Opus unius nullo modo potest alteri valere ad statum consequendum per viam meriti; dupliciter tamen quantum ad aliquid quod est consequens vel accessorium ad statum Suppl. 71 1 co.

Opus habet rationem meriti ex duobus Suppl. 96 1 co.; cf. ad 2

Maior est excellentia meriti quae consurgit ex caritate, quam illa quae consurgit ex genere actus Suppl. 96 1 ad 5

In actibus quibusdam actus semper addit ad rationem meriti vel demeriti Suppl. 96 6 ad 3

Est ab anima Suppl. 96 10 sed c. 2

Secundum habitudinem ad aliquem terminum specie diversificatur II^{a}II^{ae} 19 5 ad 2

In rebus naturalibus dicuntur aliqui motus naturales, non quia sunt ex principio intrinseco, sed quia sunt a principio superiori movente Suppl. 65 1 ad 4

Nullus motus qui fit secundum aliquid intrinsecum rei, potest esse sine *passione abiiciente a substantia* Suppl. 83 5 co.

Motus ad finem in rebus naturalibus ex propinquitate finis intenditur, quandoque autem contrarium per accidens accidit Gent. I 91

Habet finem intentum a natura Gent. III 5

MOTUS CORPORALIS - Per tempus mensuratur I^a 63 6 ad 1

Omnis motus corporis cuiuscumque vel consequitur ad aliquam formam, vel est via ad formam aliquam I^a 105 2 co.

Motus corporales humani diversimode reducuntur in motum caelestis corporis sicut in causam I^{a}II^{ae} 9 5 ad 2

In corporalibus motibus principium est secundum naturam I^{a}II^{ae} 17 9 ad 2

Reducitur in primum movens quod est Deus I^{a}II^{ae} 109 1 co.; Gent. I 42

In motu corporali primum est recessus a termino, secundum autem est appropinquatio ad alium terminum, tertium est quies in termino II^{a}II^{ae} 24 9 co.

Motus primi mobilis est causa omnis motus et alterationis corporalis App. S. 2 1 ad 3, 5

Nullus motus qui est a movente corporeo, potest esse continuus et regularis Gent. I 20

Omnium corporalium motuum est idem numero primum subiectum, fines vero diversi Gent. III 58

In istis inferioribus omnis motus praevenitur a motu caelesti Gent. III 149

In corporalibus motibus eadem est via qua descenditur et ascenditur Gent. IV 1

MOTUS ANIMALIS - Motiva vis animalis est duplex I^a 75 3 ad 3

Motus animalis novus praevenitur quidem ab aliquo exteriori motu quantum ad duo I^a II^{ae} 6 1 ad 2

Proportionatur motus appetitivae partis non quidem motui naturali, sed intentioni naturae I^{a}II^{ae} 25 3 ad 3

Appetitivus motus circulo agitur (Arist.) I^a II^{ae} 26 2 co.

Motus continuus qui procedit ex diversa intentione, licet sit unus unitate naturae, non tamen est unus unitate moris I^{a}II^{ae} 20 6 ad 1

In motibus animi omnino praecedit motus in principium speculationis vel in finem actionis, sed in exterioribus motibus remotio impedimenti praecedit assecutionem finis I^{a}II^{ae} 113 8 ad 3

Praeter motum concupiscentiae tres motus inveniuntur in anima tendentes in aliquid II^a II^{ae} 143 1 co.

Inter motus interiores prius movetur appetitus in finem quam in id quod quaeritur propter finem II^{a}II^{ae} 163 1 co.

A conceptione universali non sequitur motus et actio nisi mediante particulari apprehensione Gent. II 48

Motiva vis principaliter est in corde Gent. II 72

MOTUS SPIRITUALIS - Per motus corporales quandoque in sacra Scriptura intelliguntur metaphorice motus spirituales instantanei I^a 63 6 ad 1

Reducitur in primum movens quod est Deus I^{a}II^{ae} 109 1 co.

Est in intellectu substantiae separatae quaedam intelligentiarum successio, non autem motus proprie loquendo Gent. II 101

Spiritualium motuum sunt quidem diversa subiecta prima, finis vero numero idem Gent. III 58

MOTUS PRIMUS - Mensura primi motus est mensura omnium motuum I^a 10 4 arg. 3, 6 co.

Est simplicissimus I^a 10 6 co.

Per similitudinem non per proprietatem potest dici ut *vita quaedam natura existentibus omnibus* I^a 18 1 ad 1

Primus motus, scilicet diurnus, est causa continuitatis generationis; secundus autem motus qui est per zodiacum, est causa diversitatis I^a 104 2 co.

Est principium in genere motuum I^a II^{ae} 90 1 co.

Finis primi motus est primum movens Gent. I 20

MOTUS LOCALIS - *Est perfectior et prior secundum naturam quam alii motus* (Arist.) I^a 18 1 arg. 2; 67 2 ad 3; 78 3 co.; 110 3 co.; Suppl. 93 2 co.; Gent. II 43; III 82, 102

Nullus motus localis corporis potest esse in instanti I^a 67 2 co.; III^a 33 1 co.; 57 3 ad 3; Gent. IV 63

Nominibus pertinentibus ad motum localem utimur ad significandum alios motus I^a II^{ae} 7 1 co.; Suppl. 93 2 co.

In motu locali licet illud quod est medium in magnitudine, sit principium et finis, non tamen accipitur ut finis in actu nisi quando in eo quiescitur I^{a}II^{ae} 11 3 co.

Motus sursum et motus deorsum contrariantur in naturalibus I^{a}II^{ae} 70 4 co.

Est via ad illuminationem I^{a}II^{ae} 113 7 ad 1

Id quod movetur localiter, praeintelligitur ipsi motui III^a 4 2 co.

Corpus Christi non incipit esse in Eucharistiae sacramento per motum localem III^a 75 2 co.

Non variat aliquid quod sit intrinsecum rei; sed solum locum qui est extra rem Suppl. 74 4 co.; 84 2 ad 1, 4

Quietatio motus localis non fit per actionem alicuius contrarii agentis, sed per hoc quod motor desistit a movendo Suppl. 74 4 co.

Ipsa successio locorum est motus localis Suppl. 84 3 co.

Quod localiter movetur, sic ad unum locum accedit quod recedit ab altero Gent. IV 30

Unus motus localis non nisi ad unum terminum finitur Gent. IV 63

MOTUS CIRCULARIS - Motus circularis caret contrarietate; motus elementorum sunt invicem contrarii I^a 66 2 co.

Inter omnes motus maxime perfectus est Gent. II 46

Inter motus locales est motus circularis prior Gent. III 82

MOTUS CAELI - cf. CAELUM

MOVERE - Aliquid movet secundum quod est actu I^a 2 3 co.; Gent. III 23

Nullum corpus movet non motum I^a 3 1 co.

Movere absolute pertinet ad voluntatem II^a II^{ae} 47 8 ad 3

Oportet in rebus naturalibus ut superiora moverent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatae divinitus II^{a}II^{ae} 104 1 co.

Nihil prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere secundum quod praecedit in actu animae; sed illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum III^a 62 6 co.

Movere non est operatio animae sensitivae absque organo Gent. II 82

MOVENS: IN SE - Removens prohibens dicitur movens per accidens I^a 19 12 co.; I^a II^{ae} 25 1 ad 2; 53 3 co.; 75 4 co.

Corpus movens aliud corpus est agens univocum, sed movens incorporeum est agens non univocum I^a 25 2 ad 3

Unum est proximum movens licet possint esse plures motores remoti I^a 52 3 co.

In unoquoque motu motoris intentio fertur in aliquid determinatum ad quod mobile perducere intendit I^a 62 9 co.

Non omne movens movetur I^a 75 1 ad 1

Convenit motori aliquid distans per media magis propinqua movere I^a 76 7 co.

Non est possibile in causis moventibus procedere in infinitum I^{a}II^{ae} 1 4 co.; Gent. I 13; cf. I^a 2 3 co.

Aliquid potest esse movens dupliciter I^{a}II^{ae} 53 3 co.; 76 1 co.

Motio alicuius moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus sed etiam ad totum progressum in motu I^{a}II^{ae} 114 8 co.

Movens motum ex hoc quod movetur, movet II^{a}II^{ae} 52 2 ad 3

Movet per aliquam formam quam intendit in movendo Gent. I 44

In nullo ordine moventium invenitur quod movens per intellectum sit instrumentum eius quod movet absque intellectu, sed magis e converso Gent. I 44

Unicuique motori debentur propria instrumenta Gent. II 73

In natura cuiuslibet moventis est principium sufficiens ad operationem naturalem eiusdem Gent. II 76

Semper in movendo intendit bonum Gent. III 3

Movet ad aliquid simile sibi Gent. III 95

MOVENS: AD MOTUM - *Motum et movens oportet esse simul* (Arist.) I^a 8 1 co.; 105 2 arg. 1; Gent. I 13, 20; II 20 *bis*

In moventibus et motis tria per ordinem inveniuntur I^a 18 3 co.

Actio motoris nunquam attribuitur muto nisi sicut instrumento I^a 76 1 co.

Oportet motivum esse proportionatum mobili I^a 80 2 co.; Gent. II 48, 83

Tunc ex necessitate causat motum in mobili quando potestas moventis excedit mobile ita quod tota eius possibilitas moventi subdatur I^a 82 2 ad 2

Simpliciter et secundum naturae ordinem est prius mobili I^a 82 3 ad 2

Motor non est propter mobile, sed potius e converso I^a 84 4 co.

Virtus moventis apparet in motu mobilis I^a II^{ae} 13 2 ad 3

Idem est actus moventis et moti (Arist.) I^a II^{ae} 17 4 ad 1

Trahit quodammodo ad se patiens vel a se repellit I^a II^{ae} 23 4 co.; cf. 25 1 co.

Imponit modum motui mobilis II^{a}II^{ae} 82 1 ad 1

Motio moventis invenitur virtute in motibus mobilium II^{a}II^{ae} 82 1 ad 2

Habet excellentiam quandam et virtutem supra id quod movetur II^{a}II^{ae} 102 2 co.

Ubicumque movens et motum habent diversas formas seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia propria operatio moventis et alia propria operatio moti, licet utrumque agat cum communione alterius III^a 19 1 co.

Movens inquantum huiusmodi est actu; motum vero in potentia Gent. I 13

Motor per intellectum non posset causare motum nisi cognosceret mobile inquantum natum est moveri secundum locum Gent. I 65

Cuiuslibet motoris proprii virtus non excedit in movendo proprium mobile Gent. II 90

Oportet movens et motum ad idem tendere Gent. III 3

Naturaliter est prior quam moveri ipsius mobilis Gent. III 26

Oportet omne movens esse aliquo modo in actu respectu eorum ad quae motum est in potentia Gent. III 84

Ad moventem pertinet ut id quod movetur, perducat ad finem Gent. III 95

Motio moventis praecedit motum mobilis ratione et causa Gent. III 149

Continue mutat quousque mobile per motum finem sortiatur Gent. III 150

MOVENS SEIPSUM - Impossibile est quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum vel quod moveat seipsum I^a 2 3 co.; I^a II^{ae} 51 2 ad 2; Gent. II 82

Non est possibile quod aliquid moveat seipsum, nisi dividatur in duas partes III^a 32 4 co.

Potest moveri et non moveri Gent. I 27; II 57

Se movet per appetitum et apprehensionem Gent. I 44

Sola moventia seipsa libertatem in agendo habent et haec sola iudicio agunt Gent. II 48

Oportet si aliquid dicitur movens seipsum, quod una pars eius sit movens et alia mota Gent. II 82

MOVENS PRIMUM - Necesse est devenire ad aliquod primum movens quod a nullo movetur I^a 2 3 co.; Gent. I 13

Primus motor semper eodem modo se habuit I^a 46 1 ad 5

Virtus primi motoris non est virtus in magnitudine I^a 105 2 ad 3

Primum movens in ordine corporalium est corpus caeleste, sed primum movens simpliciter est Deus I^a II^{ae} 109 1 co.

In quolibet genere motuum primum movens est immobile secundum illum motum III^a 4 6 ad 2; 12 3 co.; 39 1 arg. 3

In quolibet ordine est unum primum movens III^a 18 3 sed c.

Virtus primi motoris in aliquo genere per multa media deducta tandem deficit et pervenit ad aliquid quod est motum tantum et non movens Suppl. 54 1 ad 1

Potentia primi motoris est infinita Gent. I 20

Movet sicut desideratum Gent. I 20, 37

P

T

U

V

Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitae in actu ex sua natura quae inest ei semper Gent. II 97
Viventia sunt quae seipsa movent ad agendum Gent. IV 11

VITIUM, *vide prius* PECCATUM, *p. 348 c*
Inveniuntur duo contraria vitia Iª IIae 31 8 ad 1
Actus vitiorum cum sint contra rationem, a natura humana discordant Iª IIae 54 3 co.
Uni virtuti contrariantur diversa vitia circa eandem materiam Iª IIae 54 3 ad 3; 70 4 ad 2; IIª IIae 29 4 ad 3; 92 2 ad 1
Si vitium dicatur habitus secundum quem quis male operatur, manifestum est quod nulla passio est vitium; si vero dicatur vitium peccatum quod est actus vitiosus, sic nihil prohibet passionem esse vitium Iª IIae 59 1 ad 2
Vitia inquantum sunt contra bonum rationis, contrariantur virtutibus; inquantum autem sunt contra divinum instinctum, contrariantur donis Iª IIae 68 1 ad 2; cf. IIª IIae 10 1 sed c.; 144 1 ad 4
Diversitas vitiorum quae unicuique virtuti opponitur, potest considerari dupliciter IIª IIae 10 5 co.
Unus homo potest diversis vitiis subiacere IIª IIae 10 5 ad 3
Vitia habent speciem ex fine proximo, sed ex fine remoto habent genus et causam IIª IIae 11 1 ad 2
Duo invicem opposita vitia contrariantur uni virtuti IIª IIae 21 3 sed c.
Omnibus virtutibus non solum sunt vitia manifesta discretione contraria, verum etiam vicina quodammodo, nec veritate, sed quadam specie fallente similia (Aug.) IIª IIae 21 3 co.; 53 Introd.
Vitia cardinalia intantum magis extinguunt iudicium rationis inquantum longius abducunt a ratione IIª IIae 53 6 ad 3
Consuevit dici non solum animae sed etiam corporis IIª IIae 72 1 ad 3
Directa oppositio vitiorum ad virtutes non attenditur secundum causas sed secundum speciem actus IIª IIae 116 1 ad 2; 127 2 ad 1, 2
Tanto aliquod vitium est gravius secundum speciem, quanto magis repugnat oppositae virtuti IIª IIae 116 2 co.
In moralibus attenditur oppositio vitiorum ad invicem et ad virtutem secundum superabundantiam et defectum IIª IIae 119 1 co.
Quaedam vitia innominata sunt IIª IIae 127 1 ad 3
Unum vitium potest alteri comparari dupliciter IIª IIae 142 3 co.
Minoris vitii est a fortiori vinci et maioris vitii a debiliori superari IIª IIae 142 3 ad 1
Vitia humana attenduntur secundum passiones humanae naturae aliqualiter conformes IIª IIae 142 4 ad 3
In humanis actibus illud est vitiosum quod est praeter rationem rectam IIª IIae 152 2 co.
Ubi circa materiam alicuius vitii occurrit specialis deformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii IIª IIae 154 6 co.
Unum vitium oritur ex alio IIª IIae 161 6 ad 1
Oppositio vitii ad virtutem attenditur secundum obiectum IIª IIae 162 6 ad 2
Non actu manet in pulveribus mortuorum Suppl. 78 3 ad 3
Vitium morale in sola actione consideratur, non autem in aliquo effectu producto Gent. III 10.

VITUPERARE, VITUPERIUM
Unaquaeque res vituperatur de hoc quod est disposita contra id quod convenit naturae Iª IIae 71 2 co.
Habet rationem mali ardui et debetur vitio IIª IIae 144 2 co.
Quamvis debeatur proprie soli culpae, respicit tamen, ad minus secundum opinionem hominum, quemcumque defectum IIª IIae 144 2 ad 2
Opponitur honori IIª IIae 144 3 co.

VIVIFICARE, *vide prius p. 369 c*
Vivificare effective simpliciter perfectionis est; sed vivificare formaliter est substantiae quae est pars alicuius naturae et non habentis in se integram naturam speciei Iª 51 1 ad 3; cf. IIIª 50 2 ad 3

VOCATIO
Est executio praedestinationis Iª 23 2 co.
Refertur ad auxilium Dei interius moventis et excitantis mentem ad deserendum peccatum Iª IIae 113 1 ad 3

VOLUNTAS, VELLE, VOLUNTARIUM, *vide prius p. 369 c* - cf. etiam INTELLECTUS AD ALIA
VOLUNTAS DEI - cf. DEUS
VOLUNTAS ANGELI - cf. ANGELUS
VOLUNTAS HUMANA
Divisio: VOLUNTAS IN SE, QUANTUM AD OBIECTUM, QUANTUM AD ACTUM, VELLE, VOLUNTARIUM

VOLUNTAS IN SE - Inclinatio naturalis voluntatis obsequitur caritati Iª 1 8 ad 2
Licet ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum habet actum Iª 19 1 ad 2
Est appetitus intellectivus sive rationalis Iª 19 9 co.; 20 1 ad 1; 59 4 co.; 82 5 co.; Iª IIae 1 2 co., 5 co.; 6 Introd., 2 ad 1; 8 1 co.; 26 1 co.; 46 4 ad 1; 59 4 co.; 77 1 co.; IIª IIae 18 1 co.; 58 4 ad 1; Gent. III 25
Non est causa bonitatis rerum sed ab ea movetur sicut ab obiecto Iª 20 2 co.
Voluntas rationalis creaturae soli Deo subiacet Iª 57 4 co.
In ratione est (Arist.) Iª 59 1 arg. 1; 79 1 ad 2; 82 1 arg. 2; 87 4 co.; Iª IIae 1 2 arg. 3; 6 2 arg. 1; 8 1 arg. 2; 9 5 co.; 10 2 sed c.; 15 1 ad 1, 4 co., ad 2; 56 6 arg. 1; 77 1 arg. 3; 86 1 arg. 2; IIª IIae 24 1 ad 2; IIIª 18 1 co., 2 arg. 1, co.; Gent. I 72; II 60
Bona voluntas est ordinata voluntas Iª 94 1 ad 2
Voluntas hominis ordinata est quae tendit in actum sibi convenientem Iª 99 1 co.
Voluntas creata non est lux, nec regula veritatis, sed participans lucem Iª 107 2 co.
Non ex necessitate sequitur inclinationem appetitus inferioris Iª 115 4 co.
Est proxima causa humanorum actuum Iª 115 4 co.; Iª IIae 37 3 co.
Sicut ad voluntatem pertinet spes et amor, ita et comprehensio et delectatio Iª IIae 4 3 ad 2
Est universale motivum respectu omnium potentiarum animae Iª IIae 18 7 co.
Ab aliquo exteriori potest inclinari ad peccandum Iª IIae 42 3 co.
Ad naturam hominis pertinet Iª IIae 51 1 ad 1
Est appetitus rationis Iª IIae 56 5 ad 1; IIIª 19 2 co.
Perficitur per virtutem moralem Iª IIae 57 3 ad 2
Ipsa natura voluntatis sufficit ad naturalem ordinem in finem, sive quantum ad intentionem finis, sive quantum ad conformitatem ad ipsum Iª IIae 62 3 ad 1; cf. IIª IIae 18 1 ad 2
Incorruptibilis est Iª IIae 67 1 ad 3
Regula humanae voluntatis est duplex Iª IIae 71 6 co.
Imperat omnes actus voluntarios Iª IIae 71 6 ad 2
Nata est moveri libere ex seipsa secundum iudicium rationis Iª IIae 73 6 co.; cf. 75 2 co.
Non potest intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo Iª IIae 77 6 co.
A duobus moveri potest Iª IIae 80 1 co.
Non ex necessitate operatur Iª IIae 84 1 ad 3
Tribus ordinibus subditur Iª IIae 87 1 co.
Voluntas de his quae imperantur, ad hoc quod legis rationem habeat, oportet quod sit aliqua ratione regulata Iª IIae 90 1 ad 3
Manifestatur in rebus agendis et verbo et facto Iª IIae 97 3 co.
Duplex est praeparatio voluntatis humanae ad bonum Iª IIae 109 6 co.
Voluntatem percipimus volendo Iª IIae 112 5 ad 1
Est effectiva eorum quae vult, si facultas adsit IIª IIae 31 1 co.
Est potissimum in homine IIª IIae 34 4 co.
Voluntas unius hominis secundum se considerata non est regula voluntatis alterius, sed inquantum voluntas proximi inhaeret voluntati Dei, fit per consequens regula regulata secundum primam regulam IIª IIae 37 1 ad 1, 2
In praecepto caritatis significatur per cor IIª IIae 44 5 co.
Movet per suum imperium omnes alias animae partes IIª IIae 58 8 ad 1; 82 1 ad 1; 180 1 co., ad 3; 186 7 co.
Voluntas unius hominis praecipientis potest esse quasi secunda regula voluntatis alterius obedientis IIª IIae 104 1 ad 2
Inter bona animae quodammodo praecipuum est IIª IIae 104 3 co.
Est primum movens in moralibus actibus IIª IIae 110 1 co.
Bonitas voluntatis attenditur ad obiectum suum IIª IIae 122 2 co.
Dupliciter impeditur ne rectitudinem rationis sequatur IIª IIae 123 1 co.
Media est inter rationem et concupiscibilem IIª IIae 155 3 ad 2
Propinquior est rationi quam vis concupiscibilis IIª IIae 155 4 ad 3
Voluntas simplex consideratur ut natura, voluntas deliberata ut ratio IIIª 21 3 co.
Voluntas simpliciter hominis est voluntas rationis; voluntas autem sensualitatis vel etiam voluntas ut natura est voluntas secundum quid IIIª 21 4 co.
Potest a bono in malum deflecti IIIª 89 4 ad 3
In patria omnino est conformis voluntati Dei Suppl. 16 2 ad 5
Quae contra voluntatem eveniunt, etiam contra voluntatem amoveri possunt Suppl. 24 2 sed c.
Voluntas nostra non facit aliquid esse illicitum vel licitum Suppl. 52 1 ad 4
Dicitur moveri de uno loco in alium Suppl. 84 3 co.
Quanto id quod aliquis sustinet voluntarie, est difficilius et magis natum voluntati repugnare, tanto voluntas quae propter Christum illud sustinet, ostenditur firmius fixa in Christo Suppl. 96 6 ad 2
Agit non secundum modum sui esse, sed secundum modum sui propositi Gent. II 35
Non est extrinseca ab homine quasi in quadam substantia separata fundata, sed est in ipso homine Gent. II 60
Est appetitus finis praecogniti Gent. III 16
Movet appetitus sensitivos Gent. III 25
Non tendit in sua volita omnino naturaliter Gent. III 56
Quod voluntas sit causa contingens ex ipsius perfectione provenit Gent. III 73
Bonum voluntatis est in eo quod sequitur intellectum Gent. III 107
In qualibet intellectuali natura oportet inveniri voluntatem Gent. IV 19
Immutabilitas voluntatis non potest homini competere nisi secundum quod attingit ultimum finem Gent. IV 70

QUANTUM AD OBIECTUM - Respicit finem sicut obiectum proprium Iª 5 4 ad 3; 48 1 ad 2; 82 4 co.; 83 4 co.; Iª IIae 1 1 co., ad 2, 2 ad 3, 4 arg. 3; 5 8 co.; 7 4 co.; 18 7 co.; 20 1 co.; 72 3 co.; 73 6 co.; IIª IIae 4 1 co.; 8 8 co.; 23 8 co.; 110 1 co.; 122 2 co.; 180 1 co.; Gent. III 1, 109, 148
Obiectum principale voluntatis est bonum quod est extra voluntatem Iª 19 1 ad 3, 4 ad 3, 7 co.; 48 5 co.; 54 2 co.; Iª IIae 110 1 co.; IIª IIae 4 1 co.
Ex necessitate vult beatitudinem Iª 19 3 co.; 41 2 ad 3; 60 2 co.; Gent. I 80
Actus voluntatis tendit in bonum et malum sicut in propria obiecta; bonum autem principalius et per se est obiectum voluntatis, malum autem secundario et per aliud Iª 20 1 co.; Iª IIae 8 1 ad 1; 78 3 co.
Bonum intellectum est obiectum voluntatis Iª 21 1 ad 2; 82 3 co., ad 2, 4 co.; Iª IIae 13 5 ad 2; 19 3 co.; 56 6 co.; 77 1 co.; IIª IIae 4 7 co.; 8 4 co.; 82 3 co.; 98 1 ad 3; Gent. I 95; II 23, 24, 27; III 73, 107 *bis*, 143
Obiectum voluntatis est beatitudo Iª 26 2 ad 2
Non est determinata ad unum Iª 41 2 co.
Inquantum est natura quaedam, aliquid naturaliter vult Iª 41 2 ad 3
Simul vult et finem et ea quae sunt ad finem Iª 58 7 ad 2
Obiectum voluntatis est bonum secundum communem rationem boni Iª 59 4 co.; 63 4 co.; 64 2 co.; 82 4 co., ad 1; Iª IIae 2 7 co., 8 co.; 19 3 co.; IIª IIae 25 2 co.; Gent. III 1, 3, 109, 148
Naturalis inclinatio voluntatis est ad id quod est conveniens secundum naturam Iª 62 2 co.

Appendix

RES NOTABILES OCCURRENTES IN PRIORIBUS REDACTIONIBUS SUMMAE CONTRA GENTILES REPRODUCTIS IN APPENDICIBUS TOMORUM XIII ET XIV

Quemadmodum in priore huius voluminis parte, in indicibus auctoritatum, in appendice post auctoritates citatas a S. Thoma collegimus (in pp. 69, 107, 226-227) auctoritates ab eo citatas in partibus deletis Summae contra Gentiles, ita huic alteri parti, indicibus rerum, adiungimus indicem rerum quas notatu digniores invenimus in partibus deletis complurium redactionum priorum textus Summae contra Gentiles. Redactio enim anterior minime semper fuit unica; saepius textus in eodem loco non nisi post ter quaterve renovatam emendationem recepit formam definitivam, cf. Tom. XIII p. IX a.

1. — Haec omnia, materia indicis nostri, aditu sane difficillima in ipsis fontibus, iam inde ab annis 1918 et 1926 critice reproducta nitideque impressa extabant in appendicibus Tom. XIII p. 3*-61* et Tom. XIV p. 3*-49*; insuper abundanter illustrata sunt in praefationibus, XIII p. XVI a - XVII a, n. 1-3; p. XXXI b - XXXII b, n. 42; XIV p. VIII a - XXI; XXIV a - XXVII a; XXIX b - XXX b; XV p. XIV a - XV b.

Praeterea etiam solemni commendatione ea praesentavimus in ipso initio Tomi XIV p. VII: « Nostris praecipue diebus quibus ubique studia circa doctrinarum evolutionem florere coeperunt... novam hanc uberrimam documentorum copiam in appendicibus nostris congestam, studiosis sinceris diligenter perlegendam et penitius perscrutandam offerimus. Quae documenta historica tanto tutius omnibus commendare possumus ut adeant, quanto non constant coniecturaliter ad invicem collatis diversorum operum textibus, sed ex ipso autographo superstite depromptis ».

Frustrane arduae huic materiae detegendae operam dedimus? Frustrane innumeris cum doctrinae thomisticae iam peritis tum novellis in ea lauream adepturis campum fertilem digito monstravimus, aditum reseruimus? Certo, stravimus viam planam per salebras hiatusque autographi fragmentarii, per reliquias modo disiectas, modo congestas complurium redactionum, per aenigmata textus ab antiquo inintelligibilis dicti. Reperiuntur forte qui obiter campum inspexerint deambulantium more, nullum autem omnino hucusque novimus qui ibi serio animo et labore messem copiosam sibi praeparaverit; non desunt tamen, etiam apud nostrates, qui genesim dictionis thomisticae alias acribus studiis prosequantur, puriorem fontem ipsius autographi silentio praetereuntes; utrum ignorantia an arduitate materiae, difficile dictu; de negligentiae facto satis constat.

Itaque nos, quamvis sistentes intra limites compilatori indicis determinatos, tamen opportunam nacti occasionem per hunc indicem etiam paululum faciliorem reddere conamur accessum ad materiam in appendicibus congestam; ea enim est magni momenti pro cognoscenda evolutione compositionis litterae Summae contra Gentiles, cuius lux tanquam per insigne exemplum etiam radiat ultra terminos huius operis in genesim generatim totius dictionis thomisticae.

2. — In appendicibus omnia et sola *deleta* constituunt materiam proximam indicis nostri; in eo autem promiscue utemur et textibus visibiliter deletis in Autographo et textu illo longissimo delendo, sed materialiter non deleto, de quo sub nomine « capitis anecdoti » plurima dissertavimus in Tom. XIV p. XXVI, n. IV *Quod dicitur.*

Patet ad omnia haec quomodocumque deleta remissionem fieri non posse nisi per remissionem ad tomum, paginam, columnam et lineas duorum appendicum in tomis XIII et XIV, et quidem ad dictionem et modum quibus ibi impressa extant, facta omnino abstractione de loco et modo quibus deleta in autographo et codicibus manuscriptis inveniantur.

Materialis igitur extensio campi per indicem peragrati limitatur ad ea tantum in dictis appendicibus quae ibi impressa sunt characteribus minoribus, sive rectis vel inclinatis, sive intra vel extra uncinos cuiusque generis, et ad supradictum « caput anecdotum » quod, quo paululum clarius efferretur, impressum est characteribus maioribus inclinatis, Tom. XIV p. 46* b 72 - 48* b 70; cf. ib. 3* b n. 3.

Ad hanc materiam aditus facilior est in tomo XIV quam in XIII. In utraque parte alterius appendicis, XIV p. 5*-13* et 14*-41*, frequentissimae sunt novae inceptiones linearum, et singulis paragraphis in margine praemittitur remissio ad locum relativum in textu definitivo leonino. Duplex haec commoditas in priore appendice tantum adest pro deletis ex traditione manuscripta collectis, XIII p. 6* et 41*. - Item in appendice Tomi XIV textui numero valde maiore additae sunt notae explicantes cursum redactionum successivarum; immo totus ultimus autographi fasciculus, fol. 78-79, bis describitur, prius in loco suo p. 35* b 58 - 41* b 27 secundum ordinem textus definitivi, iterum, quo clarius eluceat intensa eius revisio, in p. 42* - 49* secundum ordinem foliorum Autographi. Nostra remissio erit ad alterutrum vel ad utrumque locum, prout fert singuli casus conditio.

3. — Cum index noster essentialiter sit index rerum *notabilium* et non simplex omnium rerum enumeratio alphabetica, iure quaeritur an et quae hic esse possint res notatu dignae, siquidem ipse auctor eas omnes delevit.

Supra in praefatione huius tomi, in cap. II § *De citationibus erroneis,* explicavimus quo modo apud S. Thomam errores inveniantur in citationibus auctoritatum, et quo sensu horum praesentia minime deroget auctoris honori, immo hunc indirecte potius augeat.

Simile aliquid evenit respectu textuum deletorum et generalius respectu totius materiae priorum redactionum. Certo exi-

mium auctoris ingenium obstabat quominus unquam consulto scribere potuisset res manifeste indignas, nedum, erroneas. Sicut etiam summorum artificum pie conservantur et studiose considerantur quaecumque priores delineationes, adumbrationes, figurae et exemplaria imperfecta quibus ipsi excellentissima opera artificiata praeparabant sensimque ad perfectionem perducebant, ita haud absimili modo eruditorum attentione plane digna sunt quaecumque S. Thomas unquam scripto exaraverit etsi posteriore examine ipse ea deleverit.

Deletionum autem et consequenter deletorum dignitatis et utilitatis magna est differentia, si considerantur vel tempus, vel modus, vel extensio materialis quibus factae sunt.

Ex parte temporis enim aliud est, si auctor inter ipsam primam scriptionem illico textum deleverit, quandoque unum tantum vel paucissima verba, quandoque sententiam grammatice nondum perfectam vel argumentationem semi-absolutam, longe autem aliud, si locum aliquem per aliquod tempus (aliquando sat longum, cf. XIV p. XXIX b; XV p. XX a) perdurare siverit ut textum suum, cui tantum in revisione posteriore acciderit deletio, e.g. in renovatione vel longae argumentationis, vel integri capituli, vel tractatus, immo in revisione ultima post finem totius libri facta.

Ex parte modi multum differt utrum deletio facta sit in totalem suppressionem, an in novam saepius concinniorem eiusdem rei redactionem, an in substitutionem per novum scriptum, an in meram eiusdem rei transpositionem. Item, in ipsis deletis simpliciter suppressis suppressio nondum ipso facto significat imperfectionem vel omnis valoris privationem pro re deleta in se considerata. Non aliquoties argumentum, capitulum, immo series capitulorum causam suppressionis habuerunt ex revisione totius contextus, in cuius novo ordine materia deleta non amplius utiliter vel logice intrare potuerit, quamvis in se plenam et quandoque pulcherrime dictam veritatem retinuerit.

Ex parte etiam materialis extensionis deletionis generatim a compluribus notatu digniores considerabuntur deletiones totius capituli, longae argumentationis, quam deletio unius alteriusve argumenti particularis, parvae paragraphi, vel paucorum verborum. Quanto enim extensior est scriptura deleta, tanto probabilius deletio se refert potius ad meliorem formam argumentationis quam ad ipsum argumentum, tanto etiam maior remanet multarum singularum enuntiationum utilitas ideoque et earum notabilitas in indice nostro. Cave tamen ne illico spernendas putes deletiones minores, mutationes paucorum singulorum verborum, immo non raro unius tantum verbi. Nam et hic nonnunquam agitur de re maxime notatu digna, vel quia locus optime illustrat assiduam diligentiam auctoris accurandi et quaerendi in minimis proprietatem verborum (exempla pulcherrima habes XIV p. 38* a 38; 32* a 34; 31* a 26, 52; 23* b 59), vel quia de verbo agitur cuius deletio immediatam relationem habet cum extensiore revisione alibi applicata, e.g. XIII p. 18* a 71.

4. — Finem intentum principaliter indicis nostri plene assequimur si elenchum accuratum damus rerum deletarum quae nobis notabiles visae sunt. Nostrum autem non est in hoc indice etiam singulorum deletorum valorem ponderare, varietatem exprimere; eam utcumque iam exprimere nituntur ipsi appendices ex varietate characterum et signorum quibus impressae extant. Rectam autem singuli deleti aestimationem nullus omnino habebit nisi qui in loco totam genesim textus per omnes successivas redactiones diligenter per singula examinaverit, riteque intellexerit.

Quae et qualia sint quae inter deleta notatione digna iudicavimus, difficile est dictu per singula. Facilius intelligi potest ex determinatione rerum quas omittendas censuimus.

Imprimis omisimus frequentissimas illas inceptiones verborum, sententiarum, quandoque argumentorum, iam in ipsa prima scriptione ante completionem deletas atque illico renovatas in eodem fere sensu, grammatice tantum aliter redactas vel novo contextui adaptatas. Deinde non admisimus multas illas sententias et pericopas breviores ubi per paucorum verborum deletionem, substitutionem, additionem propositio in meliorem formam grammaticalem, in clariorem dictionem perducta est, nisi forte aliquoties si nova forma etiam ipsam doctrinam sensibiliter attingat. — Item non admittendum duximus deletum si verba deleta tantum constant remissione ad alicuius auctoritatem, quod saepe fit, alias cum deletione, alias sine deletione ipsius textus et auctoris citati. Attamen non immerito hic generatim notatu dignissima existimamus ipsam frequentiam huius generis deletionum quippe quae nobis videatur optime probare auctoris specialem curam de admittendis, vel omittendis, vel accurandis citationibus auctoritatum; sic e.g. in sola priore parte capituli I 71 iam scripta allegatio Philosophi quater deletur, in XIII p. 30* a 29, 32, 39, 57. De notabili frequentia similium deletionum plene quivis instruetur qui in suis locis inspicere velit singula enumerata in superioribus tabulis pp. 69, 107, 226-227.

Relictis his omittendis ex cetera materia deleta fere omnia aliqualiter digna ordinate colligere et per voces alphabetice distribuere conati sumus, hoc quidem modo: pro singulis capitulis prius sub voce e titulo mutuata, quandoque pluries sub diversis vocibus, adscripsimus titulum capituli cum indicatione omnium locorum deletorum qui in hoc capitulo inveniuntur hunc conceptum tractantes, quae enumeratio aliqualiter pro deletis eandem partem facit quam pro textu definitivo facit index materiarum. Deinde ex iisdem deletis et ex aliis, praesertim longioribus, excerpsimus sententias particulares notabiles, singulas sub sibi propriore voce alphabetica; altera haec enumeratio quodammodo pro deletis vices gerit indicis elementorum pro definitivis.

Hoc modo factum est, quod supradictorum bene memor iam intellexerit, ut tota materia deleta reapse ex quantitate locorum assumptorum in nostro indice praesens sit copia proportionaliter valde abundantiore quam textus definitivus in indice supraposito elementorum, ubi ipse infinitus aptorum elementorum numerus nobis limites determinatos non transgrediendos imposuit, cf. supra p. 283 b *Alteram similem*.

5. — Diligenti intelligentique studioso dictionis thomisticae nunc, quo in commoda alphabetica dispositione praesto sunt omnia et singula deleta, facilior aditus patet ad ulteriores investigationes de singularum deletionum modo, causa et fine, et praesertim de laboriosa genesi totius textus definitivi per successivas redactiones. Nostrum tantum erat ipsa deleta enumerare, non autem texere eorum historiam; ceterum hoc fieri non potuisse patet illico consideranti in descriptione evolutionis textus aequo iure interesse et deleta, et substituta, et addita, et simpliciter transposita, ergo multa quae utpote membra textus definitivi necessarie extra campum indicis nostri remanere debuerunt.

Integra evolutio textus educi potest ex attento examine appendicum Tomorum XIII et XIV cum accurata attentione ad diversa signa quorum usus indicatur et exemplis illustratur in XIII p. 3*-5*, XIV p. 3*-4*. Etiam retentis his normis forte descriptio redactionis nonnunquam clarior evadere potuisset, maxime in libro primo.

Sicut in Tomo XIV necessitas renovatae investigationis criticae de electione ex textu definitivo sic dicti « capitis anecdoti » nobis post iam compositum appendicem felicem occasionem dedit copiose per singula exponere extensam ultimi autographi fasciculi revisionem eiusque principium unicum illam per omnia regens (cf. Tom. XIV p. VIII-XXI), sicut item introductio in hoc tomo, p. 289 b - 292 b, n. 11-18, occasio fuit vicinius et per quaedam exempla illustrandae compositionis et dictionis S. Thomae in hac Summa tam diversae ab illa usitata in Summa Theologiae, ita denuo praeparatio huius indicis ad clariorem intelligentiam et descriptionem deletorum nobis saepius imposuit recursum extra appendices ad ipsa folia autographi.

Tamen nec in ipso autographo evolutio textus semper illico clara est, cum saepius huius intelligentiae valde obstet multiplicitas et varietas redactionum uni eidemque loco applicatarum et unico aspectu simul oculis oblatarum; autographum, ut terminis modernis utar, statice exhibet quae dynamice facta sunt. Insuper ob mutilatam fragmentariam conditionem autographi superstitis saepius partes integrales vel remissiones necessariae alicuius revisionis omnino deficiunt.

Quamobrem, licet in hoc indice agatur de re extra finem principaliter intentum, tamen occasione ita ferente, aliquos locos intricatiores, ex solo appendice nostro intellectu nimis difficiles, per conspectum schematicum illustravimus, insuper pro plurimis ex ultimo integre reviso sexternione autographi depromptis addidimus remissionem ad dissertationem introductoriam Tomi XIV, omissa mentione descriptionis utriusque redactionis in ipso appendice p. 42*-43* (de his cf. Tom. XV p. XLIX b), cum praesertim in praefatione immediate iuxtapo-

sitae tabulae (cf. p. XI-XII, XVII, XIX-XX) certe promptiorem intelligentiam habeant.

6. — Concludendo observamus ordinem remissionum in indice hunc esse, ut prius fiat ipsa remissio principalis ad tomum, paginam, columnam et lineam appendicis, deinde, inter uncinos, per cf. remissio ad locos, si qui sint, aliquo modo correlativos in textu definitivo, tertio etiam inter uncinos remissio per *vide* ad locos in praefationibus et ad notas in ipso appendice quae utiliter textum deletum illustrare possunt.

Maior accedendi commoditas, una cum litterae et dictionis thomisticae cultu, sit tandem eruditis viris, praesertim nostratibus, incitamentum ut libentius adeant materiam uberem aeque ac pulchram hucusque satis neglectam, ne dicam vix cognitam.

A

(1) Remissio in p. 232 b 16 per *supra* ex dictione et loci vicinitate potius se referre videtur ad hunc locum deletum in p. 26* a 62-64 quam ad locum distantem ex cap. 75 in p. 221 b 34-37. Ergo deletiones extensae cap. 79 in p. 26* a videntur factae in aliqua revisione posteriore, saltem post iam scriptum integrum cap. 80, quod et ipsum scriptum erat post cap. 83. — Vide etiam XIV p. XXIX b *Multo facilius* et XV p. XXI a *Similes autem.*

N

O

P

T

I.

DE REDACTIONE VIARUM EX PARTE MOTUS AD PROBANDUM DEUM ESSE IN SUMMA CONTRA GENTILES I 13

cf. Notam sub DEUS *p. 535 a*

Pro duabus viis ex parte motus in textu definitivo (cf. 30 a 8 - 33 b 33) in priori redactione fuerunt quatuor. Harum extensa reformatio nobis imperfecte innotescit, pro sola nempe parte conservata in quaterno auxiliario fol. 2 r a 1 - v a 50 (cf. XIII p. VIII a, XXXVIII et 4* a; reproducta in Appendice 6* a 4 - 7* a 46).

Secunda via ex parte motus 6* a 4 - 41, prope finem reformatur per deletiones 6* a 31 - 32, 35 - 40, et per additionem interlinearem semilineae inter 6* a 40 et 41 mox abrasae, et per additionem verbi *exteriori* in fine conclusionis 6* a 41 (cf. 32 b 16).

Tertia via: *prima redactio* 6* a 42 - 43, b 1 - 44. In revisione deletur exordium 6* a 42 - 43; et per additionem in margine superiore 6* a 44 - b 1 (cf. 32 b 17 - 21), assimilatam reformatae conclusioni secundae viae 6* a 41 (cf. 32 b 16), reliqua pars primae redactionis tertiae viae 6* b 1 - 44 fit continuatio secundae viae. Deinde inchoatur:

Tertia via: *secunda redactio* 6* b 44 - 7* a 10, 23 - 34. Nova et unica revisione simul deleri videntur ex praecedenti continuatione secundae viae pars altera 6* b 14 - 44 et ex hac secunda redactione pars prior 6* b 44 - 7* a 10, cuius conclusioni relictae 7* a 23 - 25 (cf. 33 a 11 - 14) praemittitur additio marginalis lateralis 7* a 10 - 23 (cf. 32 b 40 - 33 a 11) in substitutionem scripturae deletae, et quidem 7* a 10 - 13 (cf. 32 b 40 - 51) pro 6* b 14 - 44, et 7* a 14 - 23 (cf. 33 a 1 - 11) pro 6* b 44 - 7* a 10. Sic. etiam conclusio relicta 7* a 23 - 25 (cf. 33 a 11 - 14) et sequens paragraphus 7* a 25 - 34 (cf. 33 a 15 - 27) fiunt continuatio secundae viae; unde et forte in eius exordio 7* a 25 - 26 (cf. 33 a 15 - 16), sed certo in eius conclusione 7* a 34 (cf. 33 a 26 - 27) leves mutationes fiunt, quae conclusio enim adaptatur conclusionibus 7* a 23 - 25 (cf. 33 a 11 - 14) et 7* a 40 - 41 (cf. 33 a 40 - 41).

Quarta via ex parte motus 7* a 35 - 46, probabiliter eadem hac ultima revisione, per levem exordii mutationem 7* a 35 etiam fit continuatio secundae viae 7* a 35 - 46 (cf. 33 a 28 - 47).

Claritatis causa sequuntur duae tabulae concordantiarum, Autographi ad editionem Leoninam et e converso, de his viis ex parte motus ad probandum Deum esse.

TABULAE CONCORDANTIARUM AUTOGRAPHI AD LEONINAM ET E CONVERSO.

Tabula Prima - Concordantiae Autographi ad Leoninam.

Folia Autographi	Paginae Appendicis		Paginae Leoninae
2 r a 1 - 51	6* a 4 - 41	*Secunda via ex parte motus*	
2 r a 1 - 40	6* a 4 - 31	incipit secunda via	32 a 12 - b 11
» » a 41 - 42	» a 31 - 32	lineae deletae	———
» » a 42 - 44	» a 32 - 35	continuatio secundae viae	» b 11 - 14
» » a 44 - 50	» a 35 - 40	lineae deletae	———
» » a 50 - 51	» a 40 - 41	conclusio secundae viae	» b 15 - 16
» » a *inter* 50 et 51	» a *inter* 40 et 41	additio semilineae mox abrasae	———
» » a *subter* 51	» a 41	additio verbi *exteriori* in fine conclusionis . . .	» b 16

Folia Autographi	Paginae Appendicis		Paginae Leoninae
2 r b 1 - 52	6* a 42 - 43, b 1 - 44	*Tertia via*: *prima redactio*	
2 r b 1 - 2	6* a 42 - 43	exordium deletum	———
» » b marg. super.	» a 44 - b 1	additio, continuatio secundae viae	32 b 17 - 21
» » b 2 - 15	» b 1 - 12	continuatio tertiae viae, ex additione marginali consequenter facta continuatio secundae viae	» b 21 - 39
» » b marg. later. (ad lin. 15-16)	» b 12 - 13	additio (in Leon. in nota ad 32 b 39, potius addenda in textu; cf. XIII p. XXXVII b, n. 60 in fine)	———
» » b 15 - 52	» b 14 - 44	continuatio tertiae viae, facta continuatio secundae viae (eadem ratione qua 2 r b 2 - 15; deinde in ultima revisione deleta et substituta per primam § sequentis additionis)	———
» » b marg. later. (ad lin. 19-52)	7* a 10 - 23	additio duarum paragraphorum (scripta in margine per transversum), continuatio secundae viae	» b 40 - 33 a 11
	7* a 10 - 13	prima paragraphus	32 b 40 - 51
	» a 14 - 23	secunda paragraphus	33 a 1 - 11
2 v a 1 - 30	6* b 44-7* a 10,23 - 34	*Tertia via*: *secunda redactio*	
2 v a 1 - 16	6* b 44 - 7* a 10	prima §, excepta conclusione, deleta (simul cum 2 r b 15 - 52; substituta per secundam § additionis praecedentis)	———
» » a 16 - 18	7* a 23 - 25	conclusio primae §, facta conclusio secundae § eiusdem additionis praecedentis; unde et continuatio secundae viae	33 a 11 - 14
» » a 18 - 30	» a 25 - 34	secunda §, facta continuatio secundae viae	» a 15 - 27
2 v a 19	7* a 25 - 26	unde et levis mutatio in eius exordio,	33 a 15 - 16
» » a 30	» a 34	necnon in eius conclusione	» a 26 - 27
2 v a 30 - 50	7* a 35 - 46	*Quarta via ex parte motus*	
2 v a 30 - 31	7* a 35	exordium mutatum	———
» » a 31 - 50	» a 35 - 46	continuatio quartae viae, facta continuatio secundae viae ex mutato exordio	» a 28 - 47

Tabula Secunda - Concordantiae Leoninae ad Autographum

Paginae Leoninae		Folia Autographi
30 a 8 - 32 a 11	*Prima via ex parte motus*	*extra Autographum*
32 a 12 - 33 b 5	*Secunda via ex parte motus*	
32 a 12 - 33 a 47	*pars prima, secunda et tertia*	2 r a 1 - v a 50
32 a 12 - b 14	*pars prima*	2 r a 1 - 40, 42 - 44
» b 15 - 16	conclusio primae partis	» » a 50 - 51
» b 17 - 21	*pars secunda*, exordium	» » b marg. super.
» b 21 - 37	continuatio secundae partis	» » b 2 - 14
» b 37	(in nota ad b 39: *ipsum... divisibile*; addendum in textu post *mota*; cf. XIII p. XXXVII b, n. 60 in fine)	» » b marg. ad 15 - 16
» b 37 - 39	continuatio secundae partis	» » b 14 - 15
» b 40 - 51	continuatio secundae partis	» » b marg. ad 19 - 52, § 1
33 a 1 - 11	*pars tertia*, argumentum primum	» » b marg. ibidem, § 2
» a 11 - 14	conclusio argumenti primi	» v a 16 - 18
» a 15 - 26	argumentum secundum	» » a 18 - 30
» a 26 - 27	conclusio argumenti secundi	» » a 30
» a 28 - 47	argumentium tertium	» » a 31 - 50
33 a 48 - b 5	*pars quarta*	*extra Autographum*
33 b 6 - 33	*Duae obiectiones contra utramque viam*	*extra Autographum*

II.

DE FORNICATIONE ET MATRIMONIO IN GENT. III 122-125

cf. Notam sub MATRIMONIUM *p. 539 c*

Tabula Prima - Conspectus revisionis cap. pA 10

A. - Textus nondum revisus sic disponebatur:

Autographum		Paginae Leoninae
80 v b 14 - 81 r b 26	pars cap. 122	378 a 1 - 379 b 33
81 r b 26 - v a 23	pars cap. 123	382 a 1 - b 11
» v a 23 - 28	deletum	46* b 8 - 12
» » a 28 - 54	pars cap. 124	385 a 1 - 33
» » a 54 - v b 5	deletum	38* a 17 - 22
» » b 6 - 17	pars cap. 124	385 a 38 - b 11
» » b 17 - 82 r a 7	pars cap. 123	382 b 22 - 383 b 9
82 r a 7 - 42	pars cap. 125	387 a 1 - 388 a 9
» » a 42 - b 7	pars cap. 125	388 b 1 - 19
» » b 8 - 18	pars cap. 122	379 b 34 - 48
» » b 19 - 46	deletum	46* b 49 - 69

B. - Ex revisione ortum habebant sequentia:

marg. inf. sub 81 r b 50	titulus cap. 123	
» lat. ad 81 v a 23 - 31	pars cap. 123	382 b 12 - 21
» » » » » a 31 - 44	deletum . . .	46* b 1 - 23
» » » » » a 47 - 54 » inf. sub. 81 v a 54 lin. 2	pars cap. 123 .	383 b 10 - 18
» » » » » a 54 lin. 1 » » » » » a 54 lin. 1 - 2	pars cap. 124 .	385 a 33 - 37
» » » » » a 54 lin. 3 - 14	pars, circumscribens titulum (in lin. 12) cap. 124	385 b 12 - 39
» » » 82 r a 50 lin. 1 - 7	pars cap. 125	388 a 10 - 19
» » » » » a 50 lin. 8	titulus cap. 125	
» lat. ad 82 r b 18 - 20	pars cap. 122 . .	379 b 49 - 52

Tabula Secunda - Conspectus reviviscentiae epilogi cap. pA 10

Folium Autographi	Pagina Appendicis		Paginae Leoninae
82 r b 8 - 46	46* b 46 - 69	EPILOGUS CAP. pA 10	
8 - 18	46 - 48	§§ 1-2 per signa anterius directae fiunt §§ 1-2 epilogi cap. 122 (*in Append.* 46* b 47-48 *pro* 34-52 non esse peccatum *lege* 34-48 fornicationem)	379 b 34 - 48
19 - 46	49 - 69	§§ 3-7 deletae; harum materia in epilogis cap. 122-125 revixit hoc schemate:	
19 - 22	49 - 51	Haec § 3 prius revixit in margine laterali ad 81 v a 38-39 (cf. 46* b 19-20 vel 37* b 60-61) ut prior pars epilogi duarum §§ ibi eam praecedentium; postea deleta est simul cum altera harum §§; mox iterum rediviva apparet in eodem margine paulo inferius ad 81 v a 47-50 (cf. 46* b 27-29), scilicet post normam directivam 81 v a 44-46 (cf. 46* b 24-27) iubentem antepositionem linearum 81 v b 17 - 82 r a 7 (cf. 382 b 22 - 383 b 9), ex quo § 3 epilogi originalis facta est § 1 novi epilogi cap. 123	383 b 10 - 12
22 - 27	51 - 55	Huius § 4 pars tantum brevior revixit prope finem (in lin. 11) longae additionis in margine inferiore sub 81 v a 54 lin. 3-14 (cf. 385 b 12-39) ut § 1 epilogi cap. 124	385 b 33 - 34
27 - 31	55 - 58	Haec pars prior § 5 fere ad verbum rescripta est in margine laterali (cf. 37* b 26) ad 82 r b 18-20 in fine §§ 1-2 epilogi originalis, et sic, simul cum his translata anterius (cf. supra), facta est § 3 epilogi cap. 122	379 b 49 - 52
31 - 33	59 - 60	Haec pars ex § 5 revixit ut finis (lin. 13-14) longae additionis in margine inferiore sub 81 v a 54, de qua cf. supra § 4, et sic facta est finis epilogi cap. 124	385 b 36 - 39
34	61ª	Haec linea 34 valde ampliata reapparet in margine laterali ad 81 v a 40-44 (cf. 46* b 20-23) ut altera pars epilogi (de quo cf. supra sub § 3) et cum eo simul deleta, simul revixit in eodem margine ad 81 v a 50-54 et sub 54 (cf. 46* b 29-33) et fit § 2 epilogi cap 123	383 b 13 - 18
35	61ᵇ	Haec linea 35 revixit simul cum lineis 31-33, cf. ibidem	
36	62	De hac materia in margine inferiore sub 82 r a 50 adduntur 7 lineae (cf. 38* a 47-49). Harum 1-5 constituunt novum argumentum (cf 388 a 10-15), 5-7 sunt duae §§ novi epilogi ampliati. Tamen epilogus non obtinet locum in fine cap. 125, sed anterius, et aptius, nempe ut claudat seriem argumentorum, ante illustrationem possibilitatis dispensationis	388 a 16 - 19
37 - 43	63 - 68	Haec § 6 revixit in 2 lineis additis (cf. 38* a 22) in margine inferiore sub 81 v a 54, sed non rediit ibi ut epilogus, sed in substitutionem partis deletae 81 v a 54 - b 5 (cf. 38* a 17-22) in medio cap. 124	385 a 33 - 37
43 - 46	68 - 69	Haec § 7 simpliciter suppressa manere debuit post extensam reformationem cap. 111-139, de qua vide supra XVI p. 292 a et 305 a, b	

INDEX RERUM IN COMMENTARIA CAIETANI ET FERRARIENSIS

PRAEFATIO

Multipliciter index rerum in commentaria Caietani et Ferrariensis differre potest et debet tam in seligenda quam in describenda materia ab indicibus rerum in textum S. Thomae. Hoc sequentia illustrabunt.

1. - Commentatores saepissime litteram S. Thomae repetunt redactam in formam breviorem schematicam; item haud raro partes longiores litterae S. Thomae ad verbum exscribunt alicuius explicationis gratia. In priore parte huius voluminis (cf. p. 70 *Nota*, et in Praef. II § II *Imprimis circa*), in indicibus *auctoritatum*, decrevimus in indicibus commentatorum assumere nullam auctoritatem quae ibi eodem fine, modo et loco iam citata occurrit in littera S. Thomae. Indicibus igitur in commentatores reservavimus omnes et solas auctoritates illis proprias, ab illis noviter adductas.

Hanc normam generalem omnino observatam volumus etiam in hac altera parte, in indice *rerum*. Gravis inde quaestio statim oritur de utilitate, nedum de necessitate, conservandi pro commentatoribus praeter indicem elementorum etiam distinctum indicem materiarum. Supra enim hac distinctione usi sumus, et res notabiles in textu S. Thomae ubique ingentissimo numero occurrentes distribuimus per duas series, alia et alia intentione et methodo compositas, locum etiam separatum obtinentes in hoc Tomo: *indicem materiarum* (p. 285-370) seu locorum de quibus S. Thomas ex professo tractat per integram quaestionem, articulum aut caput, et *indicem elementorum* (p. 370-530) seu rerum notabilium quas S. Thomas praetereundo et per obiter tantum dicta tangit. De necessitate et modo huius distinctionis recole dicta p. 283-284, de ratione separationis localis p. 284 b *Duo igitur*.

Commentaria generatim ita disposita sunt, ut sub singulis articulis Summae Theologiae et sub singulis capitulis Summae contra Gentiles immediate sequatur relativa expositio. Iure supponere licet etiam commentatorem hic ex professo prae ceteris tractare eadem de quibus ex professo S. Thomas in suprascriptis agit. Minime igitur inconsulto factum esset (quod et erat prior nostra intentio) ut nos, omisso novo proprio indice materiarum in Commentatores, pro hac parte studiosos remisissemus ad anteriorem indicem materiarum in S. Thomam, sive semel pro semper in initio infraponendi indicis elementorum, sive, et hoc melius, ad singulas voces alphabeticas per formulam *vide prius p.* ......, eo modo quo supra pro S. Thoma remisimus lectorem ex indice elementorum ad indicem materiarum.

2. - Attamen sensim experientia docti et penitius re inspecta huic simplici agendi modo, nobismetipsis sane omnium commodissimo, aliqua obstare vidimus quae contrariantur solitae nostrae diligentiae sinceroque conatui accurandi bene etiam singula et minima, quae itaque derogare videntur perfectioni universim exspectatae, immo expostulatae, in laboribus leoninis.

Primum est quod reapse minime singulae quaestiones et articuli semper habent commentarium immediate adscriptum, sed hoc apud Caietanum pluries deest omnino in proprio loco, e.g. in quaestionibus I^a 31, 68, 69, 71-73, 99, 101, 109; II^a II^{ae} 140 (cf. 139 1); III^a 70, etc.; in articulis I^a 12 3,7; 14 7, 10; 20 2, 3; 63 4, 7, 9; 79 5, 13; 93 2, 3, 8, 9; 113 1, 4, 7, 8; I^a II^{ae} 1 7, 8; 7 1-3; 17 2-6; 32 2-7; 47 1-4; 59 2-5; II^a II^{ae} 17 3, 4, 7, 8; 19 3-5, 7, 11, 12; 44 2, 3, 5-7; 64 1, 5; III^a 69 1-6; 71 1, 2, 4; etc. — Vel commentarium tantum adest alibi, unitum nempe cum alio vel cum aliis articulis, e.g. comm. in I^{am} II^{ae} 15 1-3 adest sub 16 4 II; in 19 6 adest sub 5; in 46 et 47 adest sub 48 4 I; in 99 2-3 sub 3; in II^{am} II^{ae} 117 1-5 sub 6 I-II. — Vel commentarium adest et in proprio loco et etiam alibi, e.g. comm. in I^{am} II^{ae} 17 8 etiam adest sub 7 I I-II; in II^{am} II^{ae} 8 5 etiam adest sub 6; in 62 1 etiam sub 2; in 97 2, 3 etiam sub 4; in 98 3 etiam sub 2 I; in 162 2 etiam sub 1; comm. in III^{am} 79 3, 5 etiam sub 1 I, etc. Cf. etiam Praef. II § II *Hoc etiam*. — En ratio addendi et delendi multa in indice materiarum ne studiosus quaerens doctrinam commentatoris et ideo ordine percurrens illum, alios locos frustra adeat, alios indebite omittat.

Alterum est quod in elencho alphabetico suprapositi indicis materiarum in S. Thomam complures adsunt voces quae non recurrerent in infraposito elencho alphabetico in commentatores. Cum autem ad eas non sicut ad ceteras fieret expressa remissio per formulam *vide prius*, hae voces et omnis materia illis adscripta inobservatae relinquerentur, non sine damno integritatis examinis, omissis nempe e.g. ex Summa Theol. vocibus ACEDIA, ACQUIRERE, ADORATIO etc.; ex Summa contra Gent. AETAS, AGILITAS etc.; ex utraque Summa ADDERE, ASSUMERE etc. Ex hoc igitur capite prudentia suadet ut illa et similia (numero circiter 400) adnoterentur in elencho speciali.

Tertium est quod quandoque, praecipue in primo articulo quaestionis commentarium reapse adest, sed illustrationem praebet non rei exspectatae et respondentis verbis tituli, sed alterius rei quae potius respicit prologum vel ordinem vel divisionem totius quaestionis, vel quae generalius doctrinam contentam illustrat, e.g. I^a II^{ae} 13 1; 18 1; 24 1, 34 1 — II^a II^{ae} 46 1; 55 1; 120 1; 121 2.

Quartum est quod parum vel nihil utilitatis habere videtur remittere studiosum ad commentarium reapse praesens, sed tantummodo lectorem monens omnia in suprapositio articulo S. Thomae clara esse. Haud raro apud Caietanum totum commentarium his paucis verbis absolvitur, e.g. III^a 11 3; 14 1; 15 1; 24 4; 38 1, 4; 53 1, 2; 66 3, 4. Opportunius igitur haec et similia delentur.

Quintum est quod pro cognoscenda doctrina Commentatoris superfluum videtur remittere lectorem ad locum ubi commentator, nihil ex propriis adiiciens, tantummodo doctrinam superpositam S. Thomae denuo repetit redactam in formam schematicam; nihil igitur obstat quominus haec simpliciter omittantur, e.g. III^a 12 3; 18 3; 23 3; 35 4; 55 5; 59 2; 64 3; Gent. IV 16, 28, 40, 51, 53, 62, 80, 94. — Forte remissio non fit inutiliter quando commentator expressius alludit ad textus difficultatem sublatam per suum schema, dicendo e.g. *cetera*, vel *reliqua, sunt clara, plana* (I^a 6 1; 60 4; III^a 58 4) vel *omnia in littera clara sunt quamvis non hoc ordine* (I^a 111 1).

Sextum est quod ex indice materiarum tuto omitti posse videntur omnes illi articuli et capitula ad quae, vel ad quorum partem, lector iam sub eadem voce remittitur per expressiorem mentionem factam de aliqua re specialius notandam. Reliquimus enim, ut infra dicetur, in indice commentatorum regulam non admittendi elementa separata ex locis iam integre citatis (cf. p. 283 b *Alteram similem*); immo hic contraria regula obtinet.

Septimum est quod in textu commentatorum multa eaque valde notabilia adsunt quae minime dicenda sunt elementa separata, sed potius materiae ex professo tractatae et tamen nullo modo in titulo expressae. Non igitur pro commentatoribus conservanda est illa distinctio hoc modo, scil. ope titulorum articulorum et capitulorum.

His ultimo accedit quod iam p. 283 b *Dum eliminavimus* monuimus indicem materiarum in difficultate semper iusti medii attingendi potius peccare abundantia (cf. tamen notam p. 284 a) quam defectu. Hoc ibi necessarie inhaerebat methodo obiectivae tunc adhibitae qua indicem composuimus in forma concordantiarum ad verba titulorum. Quo enim factum est ut, praesertim sub vocabulis conceptuum universaliorum, ut sunt ACTUS, CAUSA, COMPARATIO, DEUS, OPERATIO, PECCATUM, VIRTUS etc., ibi adsint nonnulli articuli qui aut non, aut indirecte tantum, per modum exempli particularis, ex proposito illustrent hunc conceptum. Hoc idem etiam, idque certo frequentius, accidit in textu commentatorum. Ergo ex hac quoque

parte adhuc multa pro quaerentibus doctrinam propriam commentatoris non necessaria sunt. Nec deletioni obstat dicta ratio ea conservandi propter obiectivitatem criterii compositionis, quippe cum et haec regula hic non amplius valere possit, propter multitudinem nempe ex varia causa delendorum.

3. - Cum igitur ex multiplici capite studiosus ex sola remissione ad antecedentem indicem materiarum S. Thomae imperfecte instruatur de praesentia materiae quaesitae apud commentatores, peccante illo respectu commentatorum et per abundantiam et per defectum, nobis illi mederi cupientibus eligenda est aut suppletio prioris indicis per elenchum addendorum et delendorum aut compositio novi indicis materiarum a priore independentis pleneque in omnibus adaptati solis commentatoribus.

Prior via certe brevior fuisset; remansisset tamen necessitas conficiendi novi indicis materiarum saltem pro materia Caietano propria: pro duabus responsionibus ad magistrum Conradum in fine II^{ae} II^{ae} (Tom. X p. 555-557) et pro Supplemento Caietani in fine III^{ae} (Tom. XII p. 339-378) quod constat 11 quaestionibus cum 29 quaesitis et Appendice. Remansisset etiam incommoditas consultandi duos (pro Caietano tres) elenchos localiter separatos iam pro sola materia quam commentatores ex professo tractant.

Altera via longior quidem est, nobis sane laboriosior, sed usui valde commodior; insuper praebet occasionem uniendi sub unico elencho alphabetico omnem materiam quocumque modo ad commentatores spectantem, cui unioni apud S. Thomam obstabant dicta p. 284 b *Duo igitur*. Nunc autem neque index materiarum pro commentatoribus debet, nedum possit, describi cum illo criterio obiectivo ex concordantia titulorum, neque index elementorum hic elementorum multitudine opprimit materiam ex professo tractatam, neque ipse exponitur eidem periculo subiectivae selectionis ex nimia praesentia elementorum aptorum. Nec amplius adsunt invincibiles rationes ordinis technici quae tunc cogerunt impressionem indicis materiarum ante compositum et percorrectum indicem elementorum, quorum insuper selectio hic adeo omnino aliis criteriis facta est, ut eorum distinctio ad materias expressius tractatas potius omnino suppressa sit. Cf. infra sub 5 *Praeter hanc*

Hanc igitur viam elegimus, et novum indicem materiarum composuimus ratione habita de omnibus supradictis addendis et omittendis.

4. - De novi indicis materiarum compositione eiusque relatione ad elementa separata haec notanda occurrunt:

In textu S. Thomae distinctio inter materiam ex professo tractatam et elementa separata sponte commodeque datur ex hoc quod semper materia satis approximative cognosci potest ex ipsis titulis quaestionum, articulorum aut capitulorum. Apud commentatores rem omnino aliter se habere bene inspicientibus mox patet.

Imprimis enim minime commentator semper denuo eadem ex professo tractat quae ut materia principalis in titulis S. Thomae indicantur. — Saepe etiam fit ut ex longo processu argumentationis S. Thomae in corpore articuli unum tantum membrum separatum commentatori ansam praebeat speciali discussioni quam hic reperiri nemo praesumeret ex sola tituli dictione. — Item saepe una aliave ex responsionibus ad argumenta in contrarium, in articulo S. Thomae constituens tantum separatum elementum alienum a tituli materia, in commentario fit obiectum observationis longioris. — Haud raro etiam elementa breviora, dictiones singulares, apparenter contrariae alibi aliter a S. Thoma dictis, viam aperiunt extensae inquisitioni comparativae. — Saepe etiam commentator nullimode versatur in explicandis et invicem conferendis ipsa doctrina verbisque S. Thomae, sed eam illustrat, defendit satis ample contra recentiores obiicientes. — Ultimo tam Caietanus quam magis adhuc Ferrariensis videntur in textu S. Thomae libenter quaesivisse occasionem et locum aptum ubi intercalarent propriam sententiam de aliqua re theologica et philosophica illis diebus agitata.

Horum plurima apud commentatores revera dicenda sunt materia ex professo tractata, etiam quando elucidant res in littera S. Thomae tantummodo obiter tactas quo fit ut quemvis solos titulos S. Thomae percurrentem facillime lateant. Sic multa expressius tractata maior studiosorum pars nunquam inveniet aut vix unquam, casu potius ductus quam quaerens consilio.

Dicta sufficiunt ut intelligatur praesentiam materiae et elementorum omnino alio modo sese habere, ideoque aliter notandam esse apud S. Thomam quam apud commentatores.

5. - Omnia quae apud S. Thomam materiam ex professo tractatam constituunt, omnes igitur ipsius divisiones per quaestiones, articulos, capitula, etiam pro commentatoribus remanent materia, sed minus propria, quae velut fundamentum regit totum aedificium proprium superstructum. Illa est ex qua omnis eorum expositio exorditur, circa quam principaliter commentarium versatur, ad quam etiam post singulas digressiones, quandoque longiores, semper redeunt ut viam prosequantur. Certo igitur etiam aliquis index materiarum S. Thomae, debito modo secundum praedicta solis commentariis adaptatus, remanere debet pars, eaque integralis, indicis commentatorum.

Convenienter autem haec pars mutuata ex S. Thoma aliquo modo distinguatur a quibuscumque materiis quae sunt commentatoribus magis propriae, sive hae in littera commentatorum sint elementa separata vel materiae fusius tractatae, sive sint articuli et capitula vel quaestiones integrae. Materiam igitur minus propriam ex S. Thoma et illam magis propriam commentatorum in unico quidem elencho alphabetico continuo ponimus, hoc autem modo ab invicem distinctas ut sub singulis vocibus prius ponatur relativa materia S. Thomae cum formula introductoria *vide prius*, deinde materia propria, insuper distribuendo utramque materiam per duas series, unam Caietani, alteram Ferrariensis.

Non autem fieri potest ut etiam hic, sicut in priore indice materiarum S. Thomae, titulos verbotenus adscribamus, ne excedamus limites impositos huic indici totique huic volumini iam tam ponderoso. Adscribenda enim fuisset saltem maior pars titulorum ex pp. 306-370, et quidem plurimos cum nova et longiore dictione, cum ibi titulos Summae Theologiae adducere decreveramus (cf. p. 283 a *Circa titulos*) dictione illa sola authentica ex quaestionum prologis desumpta, dum hic potius adducendi fuissent dictione non-authentica, sed saeculorum traditione recepta, qua singuli exhibentur immediate supra relativos articulos, quippe quam commentatus sit Caietanus. Quamobrem eos hic adducere solo numero nobis sufficere visum est. Ceterum sponte quivis titulos plenis verbis videbit in sua qua quisque utitur editione quando legere incipit res ope nostri indicis quaesitas et inventas.

Praeter hanc distinctionem inter res per numerum titulorum S. Thomae indicatas et res ex proprioribus commentatorum desumptas adhuc retinere distinctionem in ipsis proprioribus inter res ex professo et eas obiter a commentatoribus tactas, omnino superfluum iudicamus. Habuit illa distinctio suas optimas rationes pro S. Thoma (cf. p. 283-284) quae tamen minime valent pro commentatoribus; praeterea haec distinctio apud commentatores vix applicari posset sine multis dubiis horumque arbitrariis solutionibus.

Item inutiliter hic conservaretur illa regula, superius in indice elementorum S. Thomae iudicata simpliciter necessaria ad praeveniendam nimiam eius extensionem (cf. p. 283 b *Alteram similem*), de non admittenda ulla sententia particulari ex aliquo articulo sub aliqua voce, si sub eadem voce alphabetica in indice materiarum iam facta erat remissio ad totum articulum. Non solum perperam hic conservaretur illa regula, immo contrariam applicamus: omittimus nempe apud articulos et capitula S. Thomae solis numeris indicata numeros illorum omnium ad quae adhuc ob rem specialius et verbotenus indicandam expressa remissio fit sub eadem voce; et iure quidem; nonne in cuiuscumque indicis compositione semper propriora magis consideranda, magis igitur efferenda sunt minus propriis? Accedit quod tituli S. Thomae non verbotenus adsunt. Nihilominus etiam si adfuissent verbotenus, ex eis solis minime quis suspicari potuisset uberrimam copiam rerum specialiter notabilium in textu commentatorum. Nobis dubium non est quin plurima pulchre dicta commentatorum oblivione vix non perpetua opprimerentur nisi ea distincte et verbotenus noster index enumerasset.

6. - Restat ut paucis indicemus quaenam et qualia praecipue sint quae recensuimus esse in textu commentatorum magis ipsis propria, insuper propter se notabilia, ideoque in indice nostro memoratu digniora:

Primo: ubicumque conceptus aliquis elucidationis gratia multifariam dividitur, e.g. sub ACTUS: *actus humanus dupliciter qualificatus intelligitur;* item *dupliciter aliquis actus est voluntarius;* item *actus exterior sumitur tripliciter;* item *actus*

humani quadrifariam dicuntur quoad bonitatem et malitiam; etc.

Secundo: propositio singularis notatu digna excerpta ex littera S. Thomae quae fusius explicatur, e.g. sub ABSTRACTUS: *Explicatur: Quanto aliquid est abstractius, tanto nobilius;* item: *omne abstractum subsistens non potest esse nisi unum;* etc. — In his excerpendis et explicandis praesertim Ferrariensis plurimum pulchreque commentarium suum ornavit.

Tertio: nota adagia, principia, conceptus universaliores, ad metaphysicam plerumque pertinentia, quae generatim occasione alicuius applicationis particularioris elucidantur; e.g. sub ACCIDENS: *de eius individuatione per subiectum;* item *disputatur circa definitionem;* sub ACTIO: plurima de actione immanente et transeunte; etc. — Ex hoc capite plurima admisimus inter quae non pauca quae forte alicui videbuntur iam dudum nota, immo trita, vix igitur notatu digna dicenda. Cum tamen in casu fere semper agatur de applicatione universalis ad particulare quod occasionem dedit intimius perscrutandi universale, minime inutiliter etiam ibi iam periti ex exemplis instruuntur quomodo liceat, immo oporteat, resolvere particularia in principia, opus proprie thomisticum, quod ipse commentator eximius Caietanus semel expressius magnificis verbis extollere voluit in S. Thoma, haec dicens: *Et hinc eleva, lector, mentis oculos in celsitudinem admirabilem doctrinae huius divini Doctoris, etiam in his minimis resolventis in prima principia* (I^a II^{ae} 65 1 xv).

Quarto: prae ceteris sedulo omnia in theologia et philosophia crebris disputationibus agitata collegimus, quandoque idem pluries, sub distinctis nempe vocibus alphabeticis, quo minus effugerent attentionem studiosi investigantis. Ob eandem causam etiam pluries rem alicuius momenti iam sufficienter, sed non verbotenus, indicatam cum toto contextu sub propria voce inter quaestiones aut articulos ibi enumeratos, iterum alibi studiosorum attentioni commendavimus verbotenus sub vocabulo secundario.

Quinto: non paucas res etiam minutas, sed aliqua ratione nobis notabiles visas, assumpsimus quae, si non singulae suo pondere, tamen unitae insigni suo numero praeclara illustratione ornant litteram et doctrinam S. Thomae.

7. - Ad modum quod attinet describendi elementa, litteram commentatorum liberius tractavimus quam litteram S. Thomae. Hanc leviter tantum et grammatice adaptavimus novae formae separatae; in illa saepius periodos longiores, pericopas integras compendio indicavimus. Ex hoc capite index commentatorum magis accedit ad modum indicis puri, index elementorum S. Thomae aliqualiter ad modum florilegii sententiarum.

Ultimo: vix expressa mentione opus esse videtur nos ab incepto hoc opere verbotenus et penitius examinasse, et pro singulorum merito assumpsisse (non semper eodem loco nec sub eodem vocabulo) vel omisisse, ea omnia quae in vulgatis editionibus circumferuntur in indicibus rerum in Caietanum et Ferrariensem, per tot saecula substantialiter immutata inde ab editione Piana, immo, experti loquimur, inde ab utriusque editione principe.

Aliquorum compendiorum interpretatio

II^a II^{ae} Cai. ad Conr. I, II: *indicat responsiones Caietani ad duas series dubiorum et quaesitorum sibi propositas a Magistro Conrado quae generatim habentur post finem II^{ae} II^{ae}*; ed. Leon. Tom. X pag. 555-557.

S. Cai. 1, 2, 3, ... 11: *indicat Supplementum Caietani; idest undecim Quaestiones de Sacramentis quae habentur generatim in fine III^{ae} Partis ante Supplementum S. Thomae*; ed. Leon. Tom. XII, Pars prior, pag. 341-375.

S. Cai. Appendix: *indicat 3um quaesitum 1^{ae} Quaestionis praedicti Supplementi Caietani; separatim ponitur quia est excerptum ex alio opere Caietani*; ed. Leon l. c. pag. 376-378; cf. p. 344.

Undecim supradictae Quaestiones Supplementi Caietani in indicibus nostris brevitatis causa solo numero indicantur; cum autem generatim in editionibus numeri ordine careant, earum titulos hic exscribimus numero addito.

1 Quaestiones quatuor de contritione.
2 Quaestiones quinque de confessione.
3 Quaestiones duae de satisfactione.
4 Quaestio unica de ministro Sacramenti Poenitentiae.
5 Quaestiones quatuor de thesauro indulgentiarum.
6 Quaestiones duae de causa indulgentiarum.
7 Quaestiones duae de suscipientibus indulgentias.
8 Articulus unicus de modo tradendi aut recipiendi Ordines.
9 Triplex Quaesitum de Sacramento Matrimonii.
10 Quaestiones duae de usu Matrimonii.
11 Triplex dubium de delectatione morosa.

A

C

E

F

G

I

L

N

P

Q

S

U

V

Z

Appendix

Tabula auxiliaris ad indices rerum in S. Thomam et in Commentatores
ELENCHUS SYNONYMORUM ET CORRELATIVORUM

Hanc tabulam auxiliarem composuimus in commoditatem eorum qui vel nesciunt, vel sine expressa incitatione actu non considerarent, qua via usus quatuor praemissarum tabularum valde utiliter extendi possit longe ultra limites uniuscuiusque singuli verbi directe quaesiti et in proprio loco inspecti.

In indicibus nostris sub aliqua voce alphabetica non admittuntur nisi loci ubi ista vox ipsa eadem occurrit; quo facile evenire potest ut aliquis de aliqua re indices consulens, sese sponte, aut inconsulto limitans ad illam tantum vocem nunc sibi in memoria praesentem, non cognoscat plura alia de hac re pulchre dicta a S. Thoma et commentatoribus, quae etiam pro indicibus a nobis notatu digna iudicata sunt, sed ibi et in contextu auctoris occurrunt sub aliqua alia voce. Nam quidquid grammatici docent non dari verba perfecte synonyma, certo multi conceptus saepe in contextu auctoris et in usu communi aeque bene exprimi possunt et solent per diversa verba cum haud perceptibili sensus mutatione; sic e.g. conceptus *esca* saepissime aeque apte exprimitur per verba synonyma *alimentum, nutrimentum, cibus, victus.*

Prius igitur inquisitio extendatur ad ipsa verba synonyma et his simillima. En quaedam exempla: sidus, astrum, stella, corpus caeleste - beatitudo, felicitas, finis ultimus, paradisus, salus - radix, causa, fons, origo, principium, stirps - persona, hypostasis, individuum, suppositum, substantia.

Dicta autem valere nobis videntur etiam de multis verbis exprimentibus conceptum correlativum conceptui primarie quaesito, quia haud raro conceptus aliquis apte illustrari potest ex suo correlativo, generice accipiendo verbum correlativi, ita ut sub eo comprehendamus omnes conceptus qui quocumque relationis modo frequenter usu connectuntur. Exempla sint: pater, filius - praelatus, subditus - absolutus, relativus, conditionalis - affirmatio, negatio, privatio - dominus, servus - agens, patiens - totum, pars.

At etiam is qui actu considerat opportunitatem ulterius extendendae inquisitionis in multiplicibus indicibus nostris ope synonymorum et correlativorum, adhuc facile ab intento deficere potest, vel defectu copiae synonymorum et correlativorum ad hoc necessariae, vel quia verba synonyma et correlativa quae sibi in mentem veniunt, apta non sunt utpote verba in nullo nostro indice occurrentia. En tota ratio itemque circumscriptio infrapositi elenchi, ex quibus has deduximus regulas de eius compositione:

Imprimis copia synonymorum et correlativorum addita singulis vocibus elenchi alphabetici stricte limitatur ad sola verba in nostris indicibus alphabeticis praesentia; sic e.g. vocibus *esca, victus* addidimus tanquam synonyma *alimentum, nutrimentum, cibus;* sed e converso apud *alimentum, nutrimentum, cibus* non fit remissio ad *esca, victus,* quia voces *esca, victus* in nullo nostro indice occurrunt, proinde remissio ad eas prorsus inutiliter fieret.

Deinde synonyma et correlativa addita alicui voci semper formaliter qua talia consideranda et referenda sunt ad solam vocem alphabeticam cui adduntur, nullo modo inter se; secus ad singulas voces nasceretur catena interminabilis addendorum.

Non amplius tanquam correlativa in elencho nostro assumenda consideravimus singula membra particularia alicuius totius generici, nec inter se, nec relata ad totum, uti sunt e.g. novem genera accidentium; partes integrales, subiectivae, potentiales alicuius virtutis; ita nec assumpsimus diversos effectus eiusdem causae, uti e.g. sunt numerosae filiae vitiorum capitalium, etc.

Ceterum meminerit studiosus tabulam istam non esse proprio sensu *indicem,* sed mere elenchum accessorium quo aliquis, ni fallimur, nec raro nec inutiliter adiuvari potest in recto et fructuoso usu indicum huius tomi. Ratione igitur huius utilitatis etiam singulae voces huius elenchi alphabetici cum omnibus ceteris suo quaeque loco intercalatae sunt in extenso indice generali rerum qui totum tomum istum apte claudit.

A

Abdicatio	abrenuntiatio - dimittere
Abhorrere	abominatio - contemnere - despicere - detestari - parvipensio
Abiecte	humilis - vilis
Abire	accedere - recedere
Ablutio	baptismus
Abolere	auferre - cessare - delere - dispensare - tollere
Abominatio	contemnere - despicere - detestatio - parvipensio
Abrenuntiatio	dimittere
Abrogare	abolere - auferre - cessare - delere - dispensare - tollere
Abscondere	latere
Absconditus	clandestinus - occultus - publicus - secretus
Absolutus	conditionalis - relativus
Absolvere	dimittere - dirimere - ligare - remittere - solvere
Abstinentia	gula - ieiunium
Abstractio	alienatio - resolutio - separatio
Abstractus	concretus
Abundantia	aequalitas - defectus - excessus - superfluus
Accedere	adventus - recedere
Acceptio	datio - receptio
Accessorius	principalis
Accessus	adventus - ingressus - recessus
Accidens	substantia
Accidentalis	casualis - essentialis - occasio
Accipere	dare - recipere
Accusare	defendere - denuntiare - imputare - increpare - reus
Acedia	gaudium - otiositas - pigritia - segnities - tarditas - torpor
Achthos	anxietas
Acquisitus	infundere
Actio	actus - habitus - operatio - passio - potentia
Activus	contemplativus - passivus
Actus	actio - habitus - potentia
» humanus	actus moralis
Adaequatio	aequiparantia - commensuratio - comparatio
Adagium	sententia
Adam	homo primus
Addere	aggravare - augere - crescere - diminuere - proficere
Addiscere	discere
Additio	aggravatio - augmentum - diminutio - profectus
Adeps	pinguedo
Adesse	assistere
Adhaesio	inhaesio
Adiacens	contiguus - continuus
Adiectivum	substantivum
Adimplere	completio - implere
Adinventio	amittere - inventio
Aditus	accessus - adventus - ingressus - recessus

Adiumentum	auxilium - eleemosyna - iuvare - subsidium - subventio - sustentatio
Adiuratio	obsecratio
Adiutor	instrumentum - minister
Adiutorium	auxilium - eleemosyna - iuvare - subsidium - subventio - sustentatio
Administrare	dirigere - gubernare - imperium - regere
Admiratio	horror - metus - stupor - timor - tremor
Admixtio	commixtio - mixtio
Admonitio	correctio - correptio
Adolescens	adultus - impubes - infans - iuvenis - senex
Adoptio	filiatio - generatio
Adoratio	cultus - honor - religio - reverentia
Adstare	assistere
Adulatio	affabilitas
Adulterium	fides
Adultus	impubes - infans - senex
Adunatio	civitas - coetus - communitas - concilium - multitudo - sessio - societas
Advena	alienigena - alienus - civis - extraneus - hospes
Adventus	accessus - recessus
Adversarius	amicus - hostis - inimicus
Advocatus	iudex
Aedes	diversorium - domus
Aedificator	architector - artifex
Aedificium	diversorium - domus
Aegritudo	debilitas - infirmitas - sanitas
Aemulatio	invidia - zelus
Aequalitas	defectus - excessus - inaequalitas - similitudo
Aequanimitas	lema - longanimitas - patientia
Aequatio	adaequatio - aequiparantia - commensuratio - comparatio
Aequitas	epieikeia - iniustitia - iustitia
Aequivocus	analogus - univocus
Aestimativa	cogitativa - instinctus - ratio particularis
Aetas	saeculum - tempus
Aeternus	aeviternus - aevum - diuturnus - perpetuus - sempiternus - tempus
Aether	aer
Aeviternus	aevum - diuturnus - perpetuus - sempiternus - tempus
Aevum	aeternus - aeviternus - diuturnus - perpetuus - sempiternus - tempus
Affabilitas	adulatio - amicitia - conversatio - eutrapelia
Affectio	affectus - animus - appetitus intellectivus - voluntas
Affinitas	cognatio - consanguinitas - necessitudo - propinquitas
Affirmatio	negatio - privatio
Affligere	cruciare
Agens	patiens
» primum	causa prima
» principale	instrumentum
Agere	facere - laborare - operari - pati
Aggravare	addere - augere - crescere - diminuere - proficere
Aggredi	impugnatio - sustinere
Agibilis	factibilis - operabilis
Agilitas	tarditas
Alienare	abstrahere - auferre - vendere
Alienatio	abstractio - resolutio - separatio - venditio
Alienigena	alienus - civis - extraneus - hospes
Alietas	differentia - disparitas - distinctio - diversitas - identitas - inaequalitas
Alimentum	cibus - nutrimentum
Allegare	citatio - remittere
Allegoria	anagogicus - figuralis - litteralis - moralis - metaphoricus - parabolicus - symbolicus
Almus	clarus
Alter	alius
Alteratio	commutatio - conversio - immutatio - mutatio - transmutatio - variatio
Alumnus	auditor - discipulus - magister
Amare	diligere
Amaritudo	dulcis
Ambitio	arrogantia - magnanimitas - praesumptio - pusillanimitas - superbia
Ambitus	circulus
Amentia	fatuitas - furia - insania - insipientia - sapientia - stultitia
Amicitia	adulatio - affabilitas - amor - benevolentia - caritas - dilectio - eutrapelia - odium
Amictus	habitus - vestimentum - vestis
Amicus	inimicus
Amittere	inventio - perditio
Amor	amicitia - benevolentia - caritas - dilectio - odium
Anagogicus	allegoria - figuralis - litteralis - metaphoricus - moralis - parabolicus - symbolicus
Analogus	aequivocus - univocus
Anceps	ambiguus
Angelus	creatura spiritualis - natura intellectualis - substantia intellectualis - substantia separata
Angustia	achthos - anxietas
Anima	caro - corpus - homo - mens - spiritus - substantia intellectualis - substantia separata
Animal	homo - irrationalis
Animalis	irrationalis - rationalis
Animatus	vivus
Animus	affectus - appetitus intellectivus - voluntas
Annihilare	conservare - nihil
Antistes	episcopus
Anxietas	achthos
Apostasia	fides - haeresis - infidelitas
Apparatus	ornatus
Apparitio	extasis - raptus
Appellare	iudicium - nominare
Appetere	fugere
Appetibilis	bonus
Appetitus	concupiscentia - cupiditas - desiderium - inclinatio - libido
» intellectivus	affectus - animus - voluntas
» sensitivus	passio
Apprehensio	cognitio intellectiva - comprehensio - ignorantia - intellectus - nescientia - notitia - opinio - scientia
Appropriare	assignare - attribuere - connumeratio - enumerare - proprium
Appropinquare	approximare
Aptus	capax - dignus - ineptus
Arbiter	iudex
Arbitrium	libertas - neccessitas
Arcere	cohibere - contrariari - impedire - licere - prohibere - vetare
Architector	artifex
Arduus	difficilis - laboriosus
Arguere	accusare - defendere - denuntiatio - imputare - increpare - reus
Argumentum	materia - probatio - ratio
Arrogantia	ambitio - superbia
Ars	artificiatum - industria - natura - prudentia
Articulus	fides - symbolum
Artifex	architector
Artificialis	naturalis
Artificiatus	ars - natura
Ascensio	descensus
Aspectus	intuitus
Assensus	consensus
Assignare	appropriare - attribuere - connumeratio - enumerare - proprium
Assimilare	imitare

Assimilatio	aequalitas - inaequalitas - similitudo
Assuetudo	consuetudo - habitudo - mos
Assumptio	elevatio - unio
Astrum	corpus caeleste - stella
Astutia	deceptio - dolus - duplicitas - fallacia - fraudulentia - fraus
Attentio	circumspectio - devotio - distractio - incircumspectio - suspicio
Attribuere	appropriare - assignare - connumeratio - enumerare - proprium
Attritio	contritio
Audacia	fortitudo - impaviditas - intimiditas - temeritas - timor
Auditor	discipulus - magister
Auferre	abolere - cessare - delere - dispensare - tollere
Aufugere	appetere - fugere
Augere	addere - aggravare - crescere - diminuere - proficere
Augurium	auspicium
Aureolus	corona
Auspicium	augurium
Austeritas	clementia - severitas
Auxilium	eleemosyna - iuvare - subsidium - subventio - sustentatio
Avaritia	illiberalitas - liberalitas - prodigalitas
Aversio	conversio - peccatum
Axioma	sententia

B

Baiulus	ballivus
Banausia	consumptio - magnificentia - parvificentia
Baptismus	ablutio
Beatitudo	felicitas - finis ultimus - miseria - paradisus - salus
Beatus	comprehensor - eligere - felix - reprobus - sanctus
Bellicus	civilis - militaris
Bellum	pax - proelium - pugna
» civile	rebellio - seditio
Benedictio	consecratio - sanctificatio
Beneficentia	scandalum - subventio
Beneficium	conferre - datio - donum - dos - gratia - largitio - merces - missio - munus - praemium
Benevolentia	Amicitia - amor - caritas - dilectio - odium
Benignitas	clementia - indulgentia - mansuetudo - mititas
Blanditia	adulatio - affabilitas
Bonitas	benignitas - clementia - indulgentia - malitia - mansuetudo - mititas - perfectio - rectitudo
Bonum temporale	divitiae - fortuna
Bonus	appetibilis - delectabilis - honestus - malus - perfectus - rectus - utilis
Brutum	animal - irrationalis

C

Cadere	lapsus
Caecatio	excaecatio
Caelebs	innuptus - virgo
Caelum	beatitudo - firmamentum - paradisus
Caeremonia	festum - solemnitas
Caeremonialis	ritus
Caliditas	frigiditas
Calumnia	contumelia - convicium - exprobratio - improperium - iniuria - laus - opprobrium - vituperium
Candidus	simplex
Canon	mensura - regula
Capax	dignus - ineptus
Caput	membrum - superior
Caritas	amicitia - amor - benevolentia - dilectio - odium
Carnalis	spiritualis
Caro	anima
Castitas	luxuria - munditia - pudicitia - pudor
Casualis	essentialis - occasio - per accidens - per se
Casus	fortuna - occasio
Catechismus	doctrina - instructio
Categoria	praedicamentum
Cathedra	sedes
Causa	effectus - origo - principium - radix - ratio
» instrumentalis	instrumentum
» prima	agens primum
Cautela	cautio
Cautio	incautela
Centrum	circulus
Certamen	bellum - pax - proelium - pugna
Certitudo	dubium - incertitudo
Cessare	abolere - auferre - delere - dispensare - tollere
Character	littera - natura - signum
Chrisma	oleum
Cibus	alimentum - nutrimentum
Cicatrix	vulnus
Cineres	pulveres
Circumspectio	attentio - distractio - incircumspectio - suspicio
Citatio	accusare - remissio
Civilis	militaris - religiosus
Civis	extraneus
Civitas	communitas - multitudo - societas - urbs
Clandestinus	occultus - publicus - secretus
Clarus	dignus - nobilis
Clementia	austeritas - benignitas - crudelitas - indulgentia-mansuetudo - misericordia - mititas - venia
Clericus	ecclesiasticus - laicus - religiosus
Coerceri	arcere - cohibere - contrariari - impedire - licere - vetare
Coetus	concilium - congregatio - ecclesia - sessio
Cogere	liber - violentum - vis
Cogitativa	aestimativa - instinctus - ratio particularis
Cognatio	affinitas - consanguinitas - necessitudo - propinquitas
Cognitio	apprehensio - comprehensio - ignorantia - intellectus - nescientia - notitia - opinio - scientia - sensus
Cohabitare	convivere
Cohibere	arcere - contrariari - impedire - licere - prohibere - vetare
Coitus	commixtio - concubitus - copula
Collatio	acceptio - beneficium - comparatio - datio - donum - dos - largitio - merces - missio - praemium - munus
Collativus	discursivus
Comedere	edere - manducare
Comes	caput - membrum
Comestio	communio - manducare - sumptio - usus
Comitium	sessio
Commensuratio	adaequatio - aequiparantia - comparatio
Commissio	omissio - ordinatio
Commixtio	coitus - concubitus - copula - mixtio
Commoditas	damnum - lucrum - profectus - utilitas
Communio	assumptio - comestio - coniunctio - elevatio - manducare - sumptio - unio - usus
Communis	proprium - specialis
Communitas	civitas - ecclesia - multitudo - societas
Commutatio	alteratio - conversio - immutatio - mutatio - transmutatio - variatio
Commutatum	contrapassum

Comparatio	adaequatio - aequiparantia - commensuratio - conferre
Compellere	cogere - liber - violentum - vis
Competere	congruere - convenire - inconveniens
Complacentia	displicentia - placere
Completio	implere
Complexus	incomplexus
Componere	dividere
Compositus	simplex
Comprehensio	apprehensio - cognitio intellectiva - ignorantia - intellectus - nescientia - notitia - opinio - scientia
Comprehensor	beatus - damnatus - eligere - felix - sanctus - viator
Conceptus	conceptio - idea - intentio - ratio - species - verbum
Concilium	coetus - congregatio - sesssio
Conclusio	principium
Concordia	discordia - pax
Concretus	abstractus
Concubinus	adulterium - meretricium
Concubitus	coitus - commixtio - copula
Concupiscentia	appetitus - cupiditas - desiderium - inclinatio - libido
Concupiscibilis	irascibilis
Condemnare	iudicare
Conditio	contractus
Conditionalis	absolutum - relativum
Conferre	accipere - comparatio - dare
Confestim	directe - immediatus - instans - statim - successive
Confidentia	desperatio - fiducia - spes
Confusio	erubescentia - verecundia
Congregatio	coetus - communitas - multitudo - ordo - societas
Congruere	competere - convenire - inconveniens - meritum
Coniectura	divinatio
Coniugium	desponsatio - matrimonium - nuptiae - sponsalia
Coniunctio	communio - connexio - unio
Coniux	sponsa - uxor - vir
Connexio	habitudo - necessitudo - propinquitas - relatio
Connubium	coniugium - desponsatio - matrimonium - nuptiae - sponsalia
Connumeratio	appropriare - assignare - attribuere - enumeratio - proprium
Consanguinitas	affinitas - cognatio - necessitudo - propinquitas
Consecratio	benedictio - ordinatio
Consecutio	adeptio
Consensus	assensus
Conservare	annihilare
Consiliari	consulere
Consilium	eubulia - praeceptum - praecipitatio - prudentia - votum
Consors	comes
Consortium	civitas - communitas - multitudo - societas
Conspectus	aspectus - intuitus
Constantia	fortitudo - mollities - obstinatio - perseverantia - pertinacia
Constringere	cogere - liber - violentum - vis
Consuetudo	assuetudo - habitudo - mos
Consulere	consiliari
Consummatio	inchoatio - perfectio
Consumptio	banausia - magnificentia - parvificentia
Contemplativus	activus - passivus
Contemptus	abominatio - despectio - detestatio - parvipensio
Contentio	concordia - disceptatio - discordia - disputare - dissensio - litigium - rixa
Contiguus	continuus
Continentia	incontinentia - temperantia
Contingens	necessarius - possibilis
Continuus	contiguus
Contractus	conditio
Contradictorius	contrarius - idem - oppositio

Contrariari	arcere - cohiberi - impedire - licere - prohibere - vetare
Contrarius	contradictorius - idem - oppositio
Contritio	attritio
Contumacia	impoenitentia - obduratio - obstinatio - perseverantia - pertinacia - poenitentia
Contumelia	calumnia - convicium - exprobratio - improperium iniuria - laus - opprobrium - vituperium
Convenire	competere - congruere - inconveniens
Conversatio	affabilitas - eutrapelia
Conversio	alteratio - aversio - commutatio - immutatio - mutatio - peccatum - transmutatio - transsubstantiatio - variatio
Convicium	calumnia - contumelia - exprobratio - improperium iniuria - laus - opprobrium - vituperium
Copia	abundantia - aequalitas - defectus - excessus - superfluus - thesaurus
Copula	coitus - commixtio - concubitus
Corona	aureolus
Corporalis	incorporalis - materialis - sensibilis
Corpus	anima - creatura corporalis - materia - res - substantia corporalis
» caeleste	astrum - stella
» Christi myst.	ecclesia
Correctio	correptio
Corruptibilis	incorruptibilis
Corruptio	generatio - mors - putrefactio
Creatio	productio
Creatura	increatus
» corporalis	anima - corpus - materia - res - substantia corporalis
» rationalis	homo - natura rationalis
» spiritualis	angelus - natura intellectualis - substantia intellectualis
Credere	fides
Crescere	addere - aggravare - augere - diminuere - proficere
Crimen	culpa - delictum - peccatum - poena
Crinis	capillus
Cruciare	affligere
Crudelitas	clementia - duritia - feritas - saevitia
Culpa	crimen - delictum - peccatum - poena
Culpabilis	accusare - defendere - imputare - increpare - laudabilis - opprobriosus - reus
Cultus	adoratio - honor - observantia - religio - reverentia
Cupiditas	appetitus - concupiscentia - desiderium - inclinatio - libido
Cupido	delectatio corporalis - libido - voluptas
Cura	diligentia - negligentia - providentia - sollicitudo - vigilantia
Curatus	sacerdos
Curiositas	studiositas

D

Daemoniacus	obsessus
Damnatio	caecatio - electio - praedestinatio - reprobatio
Damnatus	beatus - eligere - reprobus
Damnificare	laedere - nocere - proficere - restituere
Damnum	laesio - nocumentum - profectus - restitutio
Dare	accipere - conferre
» veniam	absolvere - dimittere - ligare - remittere - solvere
Datio	acceptio - beneficium - conferre - donum - dos - gratia - largitio - merces - missio - munus - praemium
Debilitas	aegritudo - infirmitas - malitia - sanitas
Decedere	defungi

Deceptio	astutia - dolus - duplicitas - fallacia - fraudulentia - fraus
Decere	competere - congruere - convenire - inconveniens
Decipere	errare - falli
Decompositio	resolutio - solutio
Decor	nitor - pulchritudo - turpitudo
Decorus	honestus - pulcher - rectus - turpis
Decretum	ius - lex - statutum
Decus	nitor - pulchritudo - turpitudo
Defectus	abundantia - aequalitas - excessus - malum - perfectio
Defendere	accusare
Deficiens	imperfectus - perfectus
Definitio	ratio
Delectabilis	bonus - honestus - utilis
Delectatio corp.	concupiscentia - dolor - libido - voluptas
» spiritualis	exultatio - fruitio - gaudium - iucunditas - laetitia - tristitia
Delere	abolere - auferre - cessare - dispensare - tollere
Delictum	crimen - culpa - peccatum - poena
Dementia	amentia - fatuitas - furia - insania - insipientia - sapientia - stultitia
Demeritum	merces - meritum - poena - praemium
Demonstrativus	dialecticus - logicus
Denominare	appellare - indicium - nominare
Denuntiatio	accusare - defendere - imputare - increpare - reus
Deprecativus	impetratio - oratio - petitio - postulatio
Derelinquere	deserere - renuntiare
Derisio	irrisio - subsannatio
Descensus	ascensus
Desiderium	appetitus - concupiscentia - cupiditas - inclinatio - libido
Designatio	indicium - signum - vestigium
Despectio	abominatio - contemptus - detestatio - parvipensio
Desperatio	spes
Desponsatio	coniugium - matrimonium - nuptiae - sponsalia
Destinare	dirigere - mittere
Deterior	gravis
Detestatio	abominatio - contemptus - despectio - parvipensio
Detrimentum	damnum - laesio - nocumentum - profectus - restitutio
Devotio	attentio - fervor - pietas - vovere - zelus
Diabolicus	obsessus
Diabolus	daemon
Diaconus	sacerdos - subdiaconus
Dialecticus	demonstrativus - logicus
Dictum	terminus - verbum
Dies	nox
Differentia	alietas - disparitas - distinctio - diversitas - identitas - inaequalitas
Differre	remittere - statim - successive
Difficilis	arduus - laboriosus
Dignitas	excellentia - nobilitas - praecellere
Dignus	capax - ineptus - melior - meritorius
Dilectio	amicitia - amor - benevolentia - caritas - odium
Diligentia	cura - negligentia - sollicitudo - vigilantia
Diligere	amare
Dimensio	magnitudo - quantitas
Diminuere	addere
Dimittere	abrenuntiatio - absolvere - dispensare - ligare - remittere - solvere
Directe	immediatus - statim
Dirigere	administrare - gubernare - imperium - regere
Dirimere	absolvere - irritare - ligare - solvere
Disceptatio	contentio - disputatio
Discere	addiscere
Disciplina	doctrina - ordo - regula - scientia
Discipulus	auditor - magister
Discordia	concordia - contentio - dissensio - litigium - rixa
Discursivus	collativus
Discursus	ratiocinatio - syllogismus
Disparitas	aequalitas - alietas - differentia - distinctio - diversitas - inaequalitas
Dispensare	abolere - auferre - cessare - delere - ligare - tollere
Dispensator	instrumentum - minister
Displicentia	placere
Dispositio	habitus - praeceptum - situs
Disputatio	contentio - disceptatio
Dissensio	concordia - contentio - discordia - litigium - rixa
Dissidium	concordia - contentio - discordia - dissensio - litigium - rixa
Dissimilitudo	aequalitas - alietas - differentia - disparitas - distinctio - diversitas - inaequalitas
Dissimulatio	fictio - hypocrisis - simulatio - veritas
Distinctio	aequalitas - alietas - differentia - disparitas - diversitas - inaequalitas
Distractio	attentio - suspicio
Distribuere	dividere
Diuturnus	aeternus - aeviternus - aevum - perpetuus - sempiternus
Diversitas	aequalitas - alietas - differentia - disparitas - distinctio - inaequalitas
Diversorium	domus
Dives	fortunatus - pauper
Dividere	componere
Divinatio	coniectura
Divinitas	deitas
Divisio	compositio - indivisio - unitas
Divisus	compositus - simplex
